Ausgewählte Aufsätze

aus dem Gebiete

der

classischen Alterthumswissenschaft

von

Ludwig Preller.

Herausgegeben

von

Reinhold Köhler.

Berlin.

Weidmannsche Buchhandlung.

1864.

VORWORT.

Der Gedanke eine Sammlung ausgewählter philologischer Aufsätze Ludwig Prellers zu veranstalten rührt von der Verlagshandlung her, welche die Ueberzeugung hegte dadurch das Andenken des Verfassers zu ehren und der Wissenschaft einen Dienst zu leisten.

Bei der Auswahl der aufzunehmenden oder auszuschliessenden Aufsätze war ganz besonders ihre grössere oder geringere Zugänglichkeit zu berücksichtigen. Hiernach konnten vor allen die Artikel in Paulys Realencyklopädie, von denen einige übrigens auch minder werthvoll und veraltet sind, weggelassen werden, da die Realencyklopädie als sehr verbreitet gelten darf. Ebenso waren die zahlreichen, zum Theil sehr umfänglichen Artikel in der Allgemeinen Encyklopädie von Ersch und Gruber auszuschliessen, da auch diese Encyklopädie, obschon seltner im Privatbesitz befindlich, doch nur wenigen öffentlichen Bibliotheken fehlen wird. Endlich durfte auf die Mehrzahl der Aufsätze in den Berichten über die Verhandlungen der k. sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig Verzicht geleistet werden, da die Berichte durch die Liberalität der Gesellschaft sehr verbreitet, auch die einzelnen Hefte derselben durch den Buchhandel leicht zu beziehen sind. Die andern, theils einzeln als Universitätsschriften, theils zerstreut in verschiedenen Zeitschriften veröffentlichten Aufsätze sind bis auf wenige, welche veraltet oder von untergeordnetem oder zu speciellem Interesse erschienen, in vorliegender Sammlung abgedruckt worden. Das am Schluss derselben von mir beigefügte, wie ich hoffe, vollständige Verzeichniss der Schriften Prellers gibt genauen Nachweis von allen hier nicht wieder abgedruckten Aufsätzen.

Was den Abdruck der Aufsätze betrifft, so habe ich die Druckfehler der Originaldrucke, vielleicht zum Theil auch

Schreibfehler des Verfassers, welche ich bemerkt habe — und es sind deren nicht wenige — verbessert und zwar fast immer stillschweigend. Einzelne Fehler waren in den Aufsätzen, die mir in Handexemplaren des Verfassers vorlagen, bereits von ihm corrigiert. Die Buntheit der Schreibung der verschiedenen Zeitschriften habe ich zu verwischen und die in den letzten Schriften Prellers angewandte Schreibung durchzuführen gesucht. Ganz ist mir dies jedoch nicht gelungen und manche kleine Inconsequenz untergelaufen, die man entschuldigen möge. Dass ich alle die zahllosen Citate hätte nachschlagen und revidieren sollen, wäre zu viel verlangt; indess habe ich doch aus besonderen Gründen viele derselben nachgeschlagen und dabei mehrere Male Gelegenheit zu Berichtigungen sowohl der Zahlen als des Textes der Citate gefunden. Es versteht sich von selbst, dass ich mir nie erlaubt habe in die abgedruckten Textstellen wesentliche Veränderungen der neueren Ausgaben hinein zu corrigieren.

Die lateinischen Universitätsschriften lagen mir in den Handexemplaren des Verfassers mit zahlreichen handschriftlichen Anmerkungen und Zusätzen desselben in lateinischer und deutscher Sprache vor. Von diesen habe ich die, welche gedruckt zu werden verdienten, wenn sie lateinisch geschrieben waren, den Aufsätzen in eckigen Klammern einverleibt, die deutschen aber am Schluss der einzelnen Aufsätze angefügt.

Eine Lebensskizze des Verfassers beizufügen, wie dies bei derartigen Sammlungen wohl zu geschehen pflegt, kann ich unterlassen und die Leser auf die treffliche Gedächtnissrede eines vertrauten Freundes Prellers, des Geheimen Staatsraths Dr. G. Th. Stichling verweisen, welche unter dem Titel: 'Ludwig Preller. Eine Gedächtnissrede in der Freimaurerloge Amalia zu Weimar gehalten von G. Th. Stichling. Weimar, H. Böhlau 1863' erschienen ist.

Weimar, October 1863.

Dr. Reinhold Köhler.

INHALT.

Erste Abtheilung.

Aufsätze in lateinischer Sprache.

Zweite Abtheilung.

Aufsätze in deutscher Sprache.

A. Zur Mythologie und Religionsgeschichte.

B. Zur Litteraturgeschichte.

C. Zur Archäologie und Kunstgeschichte.

D. Zur Geschichte.

E. Zur römischen Topographie.

F. Anhang.

ERSTE ABTHEILUNG.

Aufsätze in lateinischer Sprache.

I.

DE AESCHYLI PERSIS.

(Dissertatio inauguralis quam amplissimi philosophorum ordinis auctoritate et consensu in academia Georgia Augusta ad summos in philosophia honores rite capessendos die XVIII. febr. MDCCCXXXII publice defendet Ludovicus Preller Hamburgensis. Opponentibus: E. Koellner, phil. dr. Spangenberg, phil. stud. Gottingae, typis Dieterichianis. 8°.)

PRAEFATIO.

Persae tragoedia cum ceteris partibus valde memorabilis et in qua diligentissimum studium a viris doctis ponatur, dignissima mihi videtur, tum propter argumentum, quod Aeschylus in eo secutus sit, historicum. Etenim et pauci omnino ex antiquis graecae poeseos auctoribus traduntur, qui historiam poematis tetigerint [1]), et ex variis illis nonnisi hoc unum monumentum 2 [Seitenzahl des Originaldrucks.] superstes est. Cujus rei cum inter eos, qui in hac fabula perquirenda fuerunt, rationem a quoquam uberius habitam esse non videam [2]): placuit pro virium mediocritate id hac scriptione ita

1) Phrynichus tragicus et Mileti excidium et Persarum cladem Salaminiam tragoediis ante ipsum Nostrum concelebravit; de Phoenissis fabula, et quibus partibus eum secutus esse videatur Aeschylus, v. Jacobs Wiel. Att. Mus. IV. 1. et Herm. de Prs. fab. diss. opusc. II. p. 87 sq. — Epicus unus Choerilus Samius memoratur (frgmta ed. Naeke), qui secundum Suidam *τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου* carmine epico tractavit, cui nomen erat *Περσηΐς*. De ejusdem, quae ferebantur, Samiacis v. Naek. p. 101. — Alexandrinus ille Rhianus, qui *Μεσσηνιακά* scripsit, hic non attinet, ubi non de carminibus doctis, sed de illo tempore agitur, quo vere florebat poesis, et sponte quasi et cum ipso populo vigebat. De Euripide cf. n. 3.

2) De Persis disseruerunt praeter eos, qui Aeschylum ediderunt, Blumnerus *Schicksalsidee des Aeschylus* p. 53. Jacobs l. c. Hermann. — Cet. cf. ad n. 10.

suscipere, ut nostra tragoedia tanquam specimine illustri utar, quo propriae ejuscemodi argumenti rationes cerni possint. Sed antequam illud facere aggrediar, primum de omni eorum, quae Graeci carminibus faciendis potissimum sequi solebant, argumentorum ratione ea paucis praefari juvabit, quibus id, quod mihi jam particulariter de ea re quaerere propositum est, illustrari et accuratius definiri queat.

---

3 Omnis non solum poesis, sed ceterae etiam, quae a Graecis colebantur, artes ita comparatae erant, ut intima iis cum antiquis illis mythis, quibus quicquid de rebus divinis et humanis olim sapienter traditum erat continebatur, necessitas intercederet, et ea quidem duplex, tum historica tum idealis. Nam primum et primordia sua et incrementa inde duxerant, et tum etiam, ubi sui tanquam juris factae erant, iisdem, quibus aevum mythicum, terminis materia earum continebatur[3]). Altera autem ex parte non modo si quis spiritus in rebus, vel decor in personis et figuris adhibendus erat, haec omnia ex mythis petebantur, sed, ut paucis dicam, tanquam idealibus eorum, quae effingenda erant,
4 typis et exemplaribus, sanctisque imaginibus iis utebantur[4]). Erant enim illae fabulae et longaeva vetustate sanctae, et publica religione ita quodammodo receptae et sancitae, ut iis tanquam certis formulis et symbolis quicquid de diis et de moribus unumquemque scire fas erat, publice traderetur. Quare fieri solebat, ut, si quem carmina pangere animus ferebat, sive id de rebus praeclare gestis, sive de diis moribusve fuerit, unde potius non solum splendorem et copiam, sed etiam gravitatem et aüctoritatem ingenuam sibi comparare posset, omnino non haberet nisi ex illustribus illis et vere sanctis personis, cogitationibus, rebus denique omnibus mythicis. Et hac ipsa maxime de re praeclarissimum illud

---

3) De fingendi arte v. Müller Archaeol. §. 419. 346. Winckelm. (III. p. XXVII) primus vidit, Heraclidarum migrationem eam rem esse, quae campum illum, intra quem fictores graeci se continebant, clauserit. Idem poetis observabatur terminus. Quamquam Euripidem exhausta jamjam materia mythica illos fines excedere et prima Doriensium in Peloponneso habitantium fata aggredi videmus.

4) Cf. Dissen de dignitate et usu fabularum, ad Pind. I. p. XXXIV: „In fabulis fata aeterna gentium et urbium conspicua; fabulae sunt divinarum et humanarum rerum pulcherrima et sanctissima imago."

poetis graecis obtigisse crediderim, quod ii non tam blandis Musarum lenociniis oblectare cives, quam adinstar praeceptorum publicorum sanctos illos mythos, quibus publica fides et disciplina constabat, et propagando et interpretando instituere et erudire cives videbantur.

Apparet autem, hoc loco nonnisi eos poetas dici, qui certam aliquam rem carminibus propositam sequi consueverint, epicos 5
et tragicos [5]). Sed ab epicis illa potius mythorum parte occupata, qua quod ab heroibus praeclare gestum erat, tradebatur [6]); tragici contra idealem partem amplectebantur, quippe quorum id maxime erat, ut certas illas ideas, quibus id quod antiquis tragicum esse videbatur cernitur, idoneis fictionibus ad definitam actionem et particulares mores atque personas exprimerent. In qua re agenda non modo usus, verum intima etiam, quae erat graecae tragoediae indoles et vera vis id imponebat tragicis, ut priscum illud, quod arti suae cum mythis intercedebat, consortium tuerentur. Namque illa tragoedia cum primitus nil aliud fuisset nisi ceremoniarum in Dionysii Lenaei cultu solennium aliqua pars, quibus naturalium rerum defectus et interitus pu- 6
blice lugebantur: factum est, ut primum quidem in Dionysiacis potissimum fabulis versaretur, deinde postquam proprium quoddam ludorum genus exstiterat, in omnes protinus mythos ita excurreret, ut quicquid ad ejus ideas apte describendas maxime accommodatum erat, id ex largo illo argumentorum complexu depromeret [7]). Illis enim amplissimus ille, quo graeca tragoedia

---

5) Lyrici enim rebus ita potius utuntur, ut res sensus, quam ut sensus res sequantur.

6) Vide quid acciderit Choerilo. Qui fabuloso illo, quo viva mythorum copia epicis suppeditabat, aevo jamjam elapsus initio carminis sui ignosci sibi oportere dicit, quod de rebus vulgaribus scribere cogeretur. Cf. frgmt. I.:

Ἆ μάκαρ ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν
Μουσάων θεράπων, ὅτ᾽ ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
Νῦν δ᾽ ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
Ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ᾽· οὐδέ τοι ἔσται
Πάντῃ παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι

7) De arcto, quo tragoedia graeca cum mythis tenebatur, connexu disseruerunt Heeren *Ideen* I. 486 et A. W. Schlegel *Vorless.* I. 118. *Die griechische Mythologie war ein Gewebe nationaler und örtlicher Ueberlieferungen, gleich verehrlich als ein Anhang der Religion, überall durch Gebräuche und Denkmäler in volksmässiger Lebendigkeit erhalten, durch die mannigfaltige Behandlung zahlreicher epischer oder blos mythischer Dichter für das Bedürfniss der Kunst und höhern Poesie schon zubereitet. Somit hatten die Tragiker nur Poesie auf Poesie zu impfen u. s. w.*

conspicua erat, splendor et dignitas, illis, ut dixi, et vetustate et
religione plurimum gravitatis et sublimitatis constabat; illis de-
nique tanquam sanctis imaginibus quicquid de rerum ordine, de
deorum nominibus et numinibus, de humanis denique conditio-
nibus praecipiendum erat, cernere atque contemplari ab omni
7 tempore consueverant spectatores. Quid gravius omnino effingi
poterat ad exprimendam illam divinam necessitatem, ad omnem
deorum procurationem, ad caducas illas, quibus mortales a bona
ad malam fortunam fluctuari solent, vicissitudines propriis figu-
ris ac picturis adumbrandas — quid igitur gravius ad ea effingenda
inveniri unquam poterat, quam praeclarissima illa Labdacidarum,
Pelopidarum, Aeacidarum fata, quam illustria illa, quae ab Ar-
gonautis olim, aut ab iis, qui Thebas, aut ab iis denique, qui Tro-
jam oppugnaverant, facinora patrata erant, quam miraculosae
denique illae et omnibus coelitum numinibus luculentae atque
manifestae res, ab hominibus vetustis, robore et sapientia maxime
insignitis, heroibus, daemonibus, diis denique ipsis gestae? Quid
efficacius simul ad omnem pietatem et virtutem excogitari pote-
rat, quam haec ipsa argumenta, ubi omnis exempli documenta
in augustissimis et vere divinis heroum atque deorum monu-
mentis intueri licebat?

Mirandum igitur vehementer, quod exstiterunt omnino, qui
a mythicis hisce rebus ad eorum, quae nuper gesta erant, histo-
riam desciverint. Neque vero id ita factum est, quia exhausta
jamjam esse coeperit illa mythicorum argumentorum supellex,
sed tum, ubi intactus quasi ille thesaurus iis, qui tragoedias inde
8 effingere volebant, constabat. Neque etiam quae tunc tempo-
ris erat historia, ea talis erat, qualis nostratibus suppetit, ejus-
cemodi rebus conferta, quibus ipsa temporis vetustate aut spa-
tii longinquitate aliquantum dignitatis allatum fuerit. Verum ea,
quae in nostra tragoedia exhibentur, et novissimo tempore et
in ipsa Graecia, et ab ipsis iis maximam partem, qui spectabant,
gesta erant[8]. Quamquam haec levia sunt, si ea cum iis com-
paraveris, quae interiorem tragoediae indolem magis spectant.
Namque primum difficillimum erat, ex longa illa rerum serie
per plurima temporis ac loci intervalla gestarum definitam actio-
9 nem efficere[9]. Deinde non solum pro divino illo, quo mythica

---

8) Ea uberius persequitur Herm. l. c. p. 91.

9) Hac ex parte jam Aristoteles Nostrum vituperare videtur poet. XXIII. 3; quamquam ille nimius est in illis regulis, quae ipsa arte multo juniores sunt, a primis quibusque artis auctoribus exigendis. Constat illam πρᾶξιν

materia insignis erat, splendore et sublimitate nunc nil nisi nudi mortales, quotidiano adspectu et familiari consuetudine noti, in scenam producendi erant; et pro portentuosis illis et quae super quotidianam vitam longe excedebant conditionibus nunc nil nisi talia exhibenda erant, quae tritas illas solitasque, quibus res vulgo agi solent, leges adeo prae se ferrent, ut ii qui spectabant, ea a semet ipsis nuper gesta esse scirent. Summum denique et in quo summa simul eorum, qui talia primi in tragoediam inferre conati sunt, et audacia et ars cerni potest, id nihil aliud est, nisi id, quod ab omni tempore iis, qui publice quid instituere volebant, maxime arduum habebatur, et paene quod effici omnino nequiret. Etenim cum certas illas ideas tragicas mythicis illis 10
personis, notionibus, actionibus ita adstrictas fuisse dixerim, ut iis tanquam sanctis quibusdam symbolis publico usu et instituto receptis cernerentur: apparet iis viris, si quidem aliquid ad omnem communis vitae disciplinam talibus tragoediis efficere volebant, easdem ideas hisce rebus historicis ea cum virtute exprimendas fuisse, ut eae, si non pari, tamen consimili quadam eminentia et perspicuitate etiam in hac materia cerni possent. Igitur non modo ipsos eo sapientiae profecisse oportebat, ut quid symbolum et quid internus, qui illo exprimeretur, sensus esset, disjungere scirent; verum tam luculenter etiam et tam manifeste id exprimere fabulis suis historicis, ut idem spectatores etiam edocerentur. Jam vero vide, quantis illos viros laudibus cumulandos putemus, qui tam praeclare ea, quae multorum hominum erudiendorum summa est, fungerentur, ut vivo quodam et vere praesenti mythorum intellectu spectatores imbuerent, eosque simul eo rerum omnium sapienter judicandarum scientiae eveherent, ut easdem

---

ὅλην καὶ τελείαν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος apud Nostrum non nimis anxie quaerendam esse. Ceterum juvat, quoniam alium huic rei non datum esse locum video, hac ipsa occasione pauca de iis rationibus monere, quibus maxime usus Aeschylus illas difficultates sustulerit. In qua re primum patet, quam sapienter id institutum sit, quod Susis res geritur — cf. Blumner. p. 85. et Herm. p. 91. — id quod etiam Phrynichus fecerat. Abs quo ita discessisse Nostrum ingeniose monet Herm. ut, quum Phrynichus ex Phoenissis mulieribus chorum composuisset, Aeschylus eum personarum delectum fecerit, ut nihil ad imaginem universae civitatis, miserabili illa clade funditus afflictae, deesse videretur. Denique peregrinum etiam quendam colorem non solum τῷ ἤθει, sed etiam τῇ λέξει egregia cum arte effingendo mirum quantum rem suam adjuverit, cf. Herm. 100. Ceterum ex choro illo Phoenissarum apud Phrynichum id in nostram fabulam transiisse suspicor, quod ingentes mulierum planctus atque ejulationes identidem et paene nimis saepe memorantur.

ideas aeternas et in illis symbolis et in hisce rebus, et in omni-
bus omnino rebus gestis gerundisve inesse eos docerent.

Hisce jam nimis diu de propriis historicorum argumentorum
rationibus et difficultatibus in universum praemonitis, jam ad id,
11 quod hac scriptione fusius inquirere propositum est, accedi poterit.
Hoc maxime illud est, ut quomodo unicum illud, quod nunc ex-
stat, ejuscemodi argumenti monumentum ad illas rationes sese
habeat, i. e. quatenus Aeschylus in Persis tragoedia illas difficul-
tates aut vicerit, aut proprias quasdam in novo illo genere virtu-
tes prae se tulerit, videam. Quod ita instituere libet, ut, sicuti
omnis ejus, qui historicam aliquam rem aliquo modo tractare velit,
ars duabus potissimum hisce partibus constat, tum, ut externam
quandam rerum deinceps gestarum consequentiam et universa-
lem quendam, quo omnia singula coeant, ambitum efficere, tum,
ut ethicas, propter quas res gestae fuerint, causas ad continuum
quendam connexum contexere calleat: eundem in modum Nostrum
examinemus:

1) Qualis sit in universali quodam rerum suarum ambitu construendo;
2) qualis sit in ethicis causis materia sua exprimendis.

Priorem locum ita tractabo, ut quae fuerint trium tragoe-
12 diarum, quas trilogia cum Persis junctas fuisse a Welckero de-
monstratum est[10]), argumenta singula, et qua rerum consequen-
tia ea cohaeserint, quaeram; alterum ita, ut, quomodo necessita-
tem illam tragicam et singula ejus momenta illis rebus gestis ex-
presserit, investigem. Porro apparet, priori loco illis potissimum
prooemii locis respondendum esse, quibus mythicam gravitatem:
altero autem illis, quibus mythicam illam religionem rei historicae
deesse dixi. Ceterum eos, qui forte in hanc dissertationem inci-
derint, cummaxime nunc monitos velim, ut eam humaniter per-
legere non dedignentur, habeantque ingenii mei et scientiae, si
quid deliquerim, benevolam rationem.

Cap. I.

13 1) **Phineus fabula.** Argonautae Colchidem petentes ad
ea Thraciae climata devertuntur, quibus Phineus imperabat. Eum

---

10) **Welcker** Prom. p. 470—481. Cf. etiam quae O. **Müllerus** de eadem re disseruit Eph. Gott. 1827. N. 68. et **Klausen** theol. Aesch. p. 178.

Boreadae heroes a foedis Harpyis liberant. Phineus gratus navigantibus Graecis non solum ea, quae ipsis per totam expeditionem instent, vaticinatur, sed etiam ab iis, quae nunc sunt, rebus ansam sumit, eas, quae per omnia saecula insequentia Graecis cum Barbaris intercessurae sint, rationes vaticinandi [11]).

Attinebit hic pauca addere

1) de Phineo rege et vate. Diversae de eo ferebantur genea-
logiae, eo consentientes, ut omnes eum ex Oriente genus duxisse 14
affirmarent. Implicatur enim in amplum illud stemma, quod Logographi dicti de Aegyptiis, Phoenicibus, Persis, Scythis, cunctis denique nationibus exteris ita effinxerant, ut eas omnes primitiva quadam affinitate, et ea ab ipsis Graecis, nominatim ab Io Argiva repetita, teneri fecissent. Qua in familia alii eum ita collocant, ut eum Agenoris vel Phoenicis Agenoridae filium fuisse dicant [12]); alii eum a Belo oriundum fratreque Cepheo usum esse volunt [13]). Cephei filiam Andromedam a Perseo Persen enixam esse [14]), Persen autem Persarum omnium proavum exstitisse. Igitur Phineus avunculus Persis est, proavi Persarum, cujus progeniem etiam Xerxem esse ipse Aeschylus indicat [15]).
Igitur Phineus quodammodo Persa mythicus est, et qui in eam 15
trilogiam, cujus articulus medius et principalis Persae tragoedia est, egregie implicari posset.

---

11) Hoc ita ab Aeschylo institutum esse dixerim, sicuti in Prometheo (v. 698 sq.). Prometheum Io exsuli vaticinia varia serentem, eamque per varios, quos illa mox tactura erat, populos et regiones prosequentem facit. Qua in re eum quae olim Graecis et Persis futura essent, ad analogiam vv. 836 sq. finxisse consentaneum est. Quidni putemus Phineum ab Hercule usque ad Xerxem (cf. not. 15) sermonem perduxisse? Modo id obscurius et nonnisi tecte factum esse putemus.

12) Schol. Apollon. II. 178.

13) Euripides. Hyginus.

14) Apollodor. I. 9. 28. 5. Strabo XI. p. 798. B. Herod. VII. 61.

15) Fugit enim viros doctos apud ipsum Aeschylum Prs v. 80. indicationem hujus connexus esse, qua quidem vinculum illud, quod Persis trag. cum Phineo intercedit, aliquantum magis invalescit. Xerxes ibi appellatur:

Χρυσογόνου γενεᾶς ἰσόθεος φῶς.

Genus auro prognatum, quippe quod a Perseo deducebatur, quem Danae ex Jove in pluviem auream commutato conceperat. Xerxem e Persei posteris esse similiter fingit Lycophron Cass. v. 1413 sqq.

Ἀλλ' ἀντὶ πάντων Περσέως ἕνα σπορᾶς
Στελεῖ γίγαντα, τῷ θάλασσα μὲν βατὴ
Πεζῷ ποτ' ἔσται, γῆ δὲ ναυσθλωθήσεται
Ῥήσσοντι πηδοῖς χέρσον.

Fortassis Lycophron ea ex Phineo Aeschyli petierat, ubi talia aliqua indicata fuisse verisimile est.

2) De oraculis a Phineo prolatis[16]). Ferebantur inter Graecos antiqua oracula, quae ad Bacidem illum et ad Musaeum referebantur. Iis continebatur fere hoc, Hellespontum olim a
16 Persis junctum iri[17]); Persas delubrum Delphicum devastaturos, deinde interituros[17b]); Medos ingenti strage apud Thermodontem atque Asopum fluvios profligatum iri. Haec et alia ejuscemodi oracula, partim vera, partim spuria, a Pisistratidis et
17 Aleuadis exsulibus Susa delata esse et ibi ad magnos reges adversus Graecos exacerbescendos aliquantum fecisse videntur. Neque non ipse Aeschylus per istos viros, Onomacritum, Pisistratidas, Aleuadas, Xerxem ad fatale illud bellum suscipiendum seductum fuisse indicat[18]). Darius illa oracula noverat, eaque Xerxi tradiderat eo consilio, ut eum a bello cum Graecis porro gerendo desistere faceret[19]).

2) **Persae fabula.** Xerxes bellum illud fatale adversus Graecos gerens peregre est, Asia atque Europa ponte junctis. Infausta multa accidunt iis, qui Susis relicti sunt. Variis curis

---

16) De iis fusius disserit Müller l. c.

17) Herod. VII. 6. *Ὀνομάκριτος χρησμολόγος τε καὶ διαθέτης χρησμῶν τῶν Μουσαίου — ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμόν* etc. — ille una cum Pisistratidis, quos ille sectatus esse videtur, et cum Aleuadis apud Darium et Xerxem exsul hos ad bellum Graecis inferendum oraculis fictitiis seducebat — *εἰ μέν τι ἐνέοι σφάλμα φέρον τῷ βαρβάρῳ, τῶν μὲν ἔλεγε οὐδὲν, ὁ δὲ τὰ εὐτυχέστατα ἐκλεγόμενος ἔλεγε τόν τε Ἑλλήσποντον ὡς ζευχθῆναι χρεὼν εἴη ὑπ' ἀνδρὸς Πέρσεω, τήν τε ἔλασιν ἐξηγεόμενος* etc.

17b) H. IX. 42 Mardonium narrat dixisse: *ἔστι λόγιον, ὡς χρεών ἐστι Πέρσας ἀπικομένους ἐς τὴν Ἑλλάδα διαρπάσαι τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Δελφοῖσι, μετὰ δὲ τὴν διαρπαγὴν ἀπολέσθαι πάντας*, atque hoc vaticinio ita usum esse, ut Persas incolumes futuros esse diceret, qui Delphos omnino non tetigissent. Herod. autem hoc ipsum oraculum primitus non in Persas, sed in Illyrios factum esse vult. Contra in pugnam Plataeensem a Bacide hoc compositum esse affirmat:

Τὴν δ' ἐπὶ Θερμώδοντι καὶ Ἀσωπῷ λεχεποίῃ cet. —

subjungens, se haec et alia consimilia vaticinia a Musaeo in Persas facta esse scire. Constat, quomodo Graeci talibus vaticiniis usi sint, ea quae ipsis favebant, aspernati, secunda foventes. Nam etiam alterum illud de pugna Plataeensi proprie non Persas, ut vult Herod., sed Amazonas spectabat, cf. not. 46. De fide, quam Graeci oraculis habere consueverint, v. Wachsm. *hellen. Alterth.* IV. 268. — Ceterum cf. quae Her. IX. 16 Thebis a Persa quodam inter epulas dicuntur, Persas probe scire, se mox interituros, verum se sequi *ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένους*. Nam, *ὅτι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ*.

18) Prs. v. 753. *ταῦτα τοῖς κακοῖς ὁμιλῶν ἀνδράσιν διδάσκεται Ξέρξης.*

19) 739. 782. *οὐ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς.*

anguntur senes chorici et Atossa, quibus rerum administratio commissa est, dum Xerxes peregrinetur[20]. Darius *δαίμων*[21]
ab inferis adscendit, et ea omnia, quae Nuntius modo de clade 18
Salaminia retulerat, fato facta esse ita affirmat, ut ad vetusta illa oracula alludat. Simul quae apud Plataeas[22] relictis Persarum copiis instent, indicat[23].

3) Glaucus Marinus. In hac fabula a Glauco ea, quae 19
modo apud Himeram Siculis adversus Poenos contigerant, partim enarrata, partim divinata fuisse suspicatur Welckerus; rem Anthedonte in Boeotia, ubi Glaucus *δαίμων ἐγχώριος* erat, actam esse[24].

---

20) Atossa, Cyri filia, *εἶχε τὸ πᾶν κράτος* Her. VII. 3. Senes chorici principes ac summo loco nati 1—6. 140. 210 sq. 215 sq. Septem eos regni proceres fuisse suspicatur Stanlejus. Darius eos *πιστὰ πιστῶν* appellat, et *ἥλικες ἥβης ἐμῆς;* Atossa *γηραλέα πιστώματα, πάντα γὰρ τὰ κέδν' ἐν ἡμῖν ἐστί μοι βουλεύματα.* Ceterum apud Herodotum Xerxes soli Artabano imperium, quamdiu ipse absens futurus sit, committit.

21) Darius *δαίμων*. Darii personam primariam esse patet. Eam non solum tanquam laetissimarum, quibus Dario rege gavisi sint Persae (cf. Chor. 852 sq.), rerum auctorem *ἄκακον, ἀβλάβην* Xerxi, miserabilis illius, quae nunc irrupit, ruinae auctori opponit, verum mythicam etiam quandam speciem mira cum arte suae rei ita comparat, ut eum tanquam numen quoddam et daemonem divinatorium actioni implicet. Daemonem eum facit, easdem rationes secutus, quas Creuzer Symb. III. initio Graecis in effingendis heroibus usitatas fuisse disputat. Darius adstat Xerxi periclitanti in somnio Atossae; eo usque potestatis valet in Orco, ut possit *ἐσθλὰ πέμπειν* Atossae, *τέκνῳ τε, γῆς ἔνερθεν ἐς φάος, τἄμπαλιν δὲ τῶνδε γαίας κάτοχ' ἀμαυροῦσθαι σκότῳ.* Illi tanquam deo averrunco inferiae offeruntur, *νεκυομαντείᾳ* usi eum ex Orco provocant.

22) v. 800 sqq. — *οὐδέπω κακῶν κρηπὶς ὕπεστιν, ἀλλ' ἔτ' ἐκπιδύεται.*

23) Quae Chorus 584 sqq. de populis Asiaticis — *οἱ ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν* — Persarum jugum jamjam excussuris dicit, iis ad Iones potissimum alludere mihi videtur.

24) Fragmenta hujus fabulae v. apud Herm. de Aeschyli Glaucis opusc. II. p. 59 sq. Quae ex iis eruit Wlk., admodum dubia esse apparet. Equidem — nam vix possum, quin et ipse ibi pauca suspicer, ubi plurimum conjecturis faciendis locum datum esse video — si ea sequor, quae ab ipso Aeschylo in Persis fab. indicata sunt, maximam Glauci partem Plataeensi pugnae atque Ionum in libertatem restitutioni datam fuisse crediderim. Nam iis ad Graecorum gloriam et libertatem non modo plurimum addebatur, sed, si definitum hujus belli ambitum efficere placuit, hisce pugnis Plataeensi et Mycalensi finis etiam et certa conclusio toti actioni revera imponebatur, atque item in scena res optime cum iis concludi poterat. Eas choricis carminibus Anthedonte in Boeotia, quam et ipse Aesch. Prs. 806. innuere videtur, concelebratas et per varias scenas discretis sermonibus et actionibus distributas fuisse consentaneum est. Neque non ipsum Himerense proelium a Glauco reduce in media fabula narratum fuisse, atque ita omnem omnium

20 Igitur id in universum propositum erat Aeschylo, ut nobi-
les illas, quarum aeterna memoria est [25]), Graecorum victorias
de Barbaris reportatas, Salaminias, Plataeenses, Himerenses, fa-
21 ciendis inde imaginibus, quae tragicam indolem haberent, con-
celebraret. Id nequaquam ita ab eo factum esse a plurimis ob-
servatum est, ut certam inde et definitam actionem effecerit, et
ei implicationem hoc nomine dignam, enodationem discriminis
idoneam cet. dederit [26]). Sed picturam quasi, poeticam narra-
tionem ad imaginis formam expressam effinxit [27]) eamque ita
instructam, ut tribus quasi figurarum complexionibus, quae tria
erant totius rei momenta principalia, exprimerentur. Primum
prisci illi Argonautae producuntur cum iis, qui pontum Euxinum
accolunt, dimicantes. Deinde ipsorum eorum, qui tunc temporis
Hellada tenebant, Graecorum cum Persis certamen atrox mon-
stratur. Denique occidentalium etiam Graecorum victoriae de iis,
qui hac parte graeco nomini infestissimi erant, de Poenis et de
Etruscis reportatae ostenduntur. Vide quanta arte Noster illas,
quae nuperrime et ab ipsis spectatoribus gestae erant, res ex so-
litis, quibus res vulgo geri et judicari solent, conditionibus exeme-
rit, et ad altiorem quendam gradum atque prospectum evexerit,
ubi prisca non modo majestas, verum religiosa quoque sanctitas
iis adspergeretur. Vide etiam, quanta voluptate motos pute-
22 mus Athenienses, ad quantam simul omnis gloriae et libertatis

---

Graecorum laudem cumulatam fuisse verisimile esset, nisi temporis ratio adversaretur. Constat enim pugnam Salaminiam, Himerensem, Cymensem Ol. 75, 1. 480, Plataeensem et Mycalensem 75, 2. 479. eadem die pugnatas fuisse. An Cymensem pugnam a Glauco reduce nuntiatam fuisse putemus? — Etruscos quamquam eodem anno, tamen paullo serius quam Carthaginienses ab Hierone fusos esse, Diodoro solos Etruscos memorante, cf. Dissen ad Pind. Pyth. I. 73. Graeci pugnas Salaminias, Himerenses, Cymenses jungere soliti, cf. Aristot. poet. 23. et Pind. P. 1, 72. 79., carmine ad ipsum Hieronem victorem scripto. — De iis, quae paullatim addita sint ad has pugnas a Graecis et a Siculis adversus Barbaros pugnatas arctius connectendas, v. Dahlmann *Forschungen* I. 186. — Si ea, quae ex Herodico obscurius memorantur, integra exstarent, de altera illa recensione, quam Aeschylus Hieronis et Syracusanorum gratia fecerit, sine dubio haec omnia facile dijudicari possent. Fortassis, quae ibi de pugna Plataeensi, cui plus datum sit, memorantur, ea ita intelligenda sunt, ut in altera illa recensione Plataeensia omissa fuerint, et pro iis Himerensis laus restituta.

25) *ὦ κλεινὰ Σαλαμὶς, σὺ μέν που ναίεις ἁλίπλαγκτος, εὐδαίμων πᾶσιν περίφαντος ἀεί.* Soph.

26) Cf. not. 9. Herm. l. c. p. 88.

27) Ingeniose haec fabula *μουσικὴ ἱστορία* dicitur ab eo, qui vitae Aeschyli Cod. Robort. auctor est.

ingenuae [28]) caritatem excitatos, quum talibus imaginibus splen-
dore omni ac sublimitate cum maxime insignibus res suas adum-
bratas intuerentur. Cui rei cum cetera, tum praesertim grandis-
simum illud, quod excogitavit Noster, mirum quantum inservit,
quod amplissimus simul et quo omnes omnium temporum ac
locorum Graeci ad unam rem convenire videantur, orbis atque
circuitus effectus est. Etenim non tam nunc primum id agere vi-
demus Graecos universos ab iis, qui Asiam tenent usque ad eos,
qui Siciliam et Italiam incolunt, ad unam rationem coeuntes, ut
eam, quae communis omnium sit, libertatem et laudem pristinam
a confertis, qui undique infestant ipsis, Barbarorum omnium ca- 23
tervis defendant. Verum idem ab omni tempore agebant illustris-
simi quique majores longinquam olim Colchidem eo consilio peten-
tes, ut Phrixi animam, e Graecia exsulem, et sanctum arietis vellus
aureum patriae vindicarent. Neque vero id *ἄνευ θεῶν* fecerunt
utrique: etenim sicuti illi a Phineo, Persa mythico, juvabantur,
quem Welckerus ingeniose cum Heleno hostibus suae ipsius pa-
triae calamitatem praedicenti comparat: ita etiam hi a bono illo
Dario, qui vivus, quales Graeci essent, expertus erat [29]), nunc
defuncto et beato daemone ita adjuvantur, ut ille unam Persis sa-
lutem in pace cum Graecis protinus servanda positam esse di-
cat [30]). Vide etiam quanta concinnitate et quam eleganti ordine
Aeschylus tria illa, quae dixi, ingentis, quod ab omni tempore
Graecis cum Barbaris intercedebat, certaminis momenta singula
disposuerit. Cujus primordia a mythicis temporibus repetens
primam trilogiae fabulam ita instruxit, ut figuris, colore omni,
vaticiniis denique disertis praeparentur ea, quae in Persis agun-
tur. Quae ibi nonnisi obscure et veluti ex longinquo indicata 24
erant, ea nunc eoram et manifesto aguntur. Longaevum illud

---

28) Dico praesertim tales locos, ut 242 *οὔτινος δοῦλοι κέκληνται φωτὸς, οὐδ' ὑπήκοοι* — v. 584 *τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν δὴν οὐκ ἔτι περσονομοῦνται* etc. — et eccum illum locum speciosissimum et ad eas, quae hodie sunt plerarumque civitatum, rationes maxime accommodatum: *οὐδ' ἔτι γλῶσσα βροτοῖσιν ἐν φυλακαῖς· λέλυται γὰρ λαὸς ἐλεύθερα βάζειν.* — Quibus maxime locis motum fuisse crediderim illum Joannem a Müllerum, quum haec seriberet „*Aeschylos Prometheus und sieben Helden habe ich commentirt, und bin jetzt an den Persern, meinem Lieblingsstück, wobei es nicht ohne einige alteidgenossische Seufzer abgeht.*“

29) v. 244.

30) — — *πῶς ἂν ἐκ τούτων ἔτι*
πράσσοιμεν ὡς ἄριστα Περσικὸς λεώς;
— *εἰ μὴ στρατεύοισθ' ἐς τὸν Ἑλλήνων τόπον*
μηδ' ἢν στράτευμα πλεῖον ᾖ τὸ Μηδικόν.

certamen jam eo usque immanitatis crevit, ut nunc tanquam duarum vastarum continentium [31]) Europae et Asiae, quae de principatu rerum bella exitiosa gerant, certamen internecinum exsistat. Nunc discrimen rerum est, nunc irrumpit *ἡ καταστροφή*. Ab Oriente ingentes illae Magni Regis copiae [32]), terribiles, quibus Europam cum Asia conjungere conatus erat, machinae [33]), acerrimae denique illae cohortes, omni fortitudine, maximisque
25 opibus instructae [34]) pessumdantur [35]). Maritima clade pedestres etiam copiae perduntur [36]). Claudicat totum imperium Persarum [37]), quod modo copiis omnibus et laetissima gloria exsultans ad summum fortunae fastigium effloruerat [38]). Xerxes omnibus modo innumerarum gentium, imperatorum, pedestrium et navalium copiarum [39]) cohortibus confertis insolens, nunc foedus adspectu, habitu, fortuna quam maxime miserabilis, redux nil nisi pharetram Susa reportat [40]). Ab Occidente horribiles Carthaginiensium et Etruscorum copiae non minore strage devictae, et ad extremam necem oppressae [41]).

26 Vide igitur divinum virum qualis fuerit in Persis tragoedia.

---

31) Illud sibi velle Aesch. aperte indicat in somnio Atossae mira arte composito. Vidit illud etiam Herm. p. 95 „somnurna illa duarum mulierum species non ducum, non exercituum, sed duarum vastarum continentium, quae de imperio inter se certent, imaginem animis admovet.“ Augetur illa sublimitas, si Scholiastem sequamur, qui voces *καὶ κασιγνήτα γένους τ' αὐτοῦ* ad mythicam Asiae et Europae ex Oceano procreationem referendas esse vult.

32) Populorum sub Xerxe stipendium merentium ducumque et imperatorum nomina plus semel recitantur. De quibus cf. Schütz. prolgg. in Prs. p. 8.

33) *λινόδεσμος σχεδία — πολύγομφον ὅδισμα.*

34) *φοβεροὶ μὲν ἰδεῖν, δεινοὶ δὲ μάχην ψυχῆς ἐν τλήμονι δόξῃ.*

35) *στρατὸς πᾶς ὄλωλε βαρβάρων.*

36) *ναυτικὸς στρατὸς κακωθεὶς πεζὸν ὤλεσε στρατόν.*

37) *νῦν δὴ προπᾶσα γαῖα Ἀσίας ἐκκενουμένα στένει. — Σούσων ἄστυ πᾶν κενανδρίαν στένει — διαπεπόρθηται τὰ Περσῶν πράγμαθ' ὡς εἰπεῖν ἔπος.*

38) Cf. v. 852 sq.

39) *πολύχειρ καὶ πολυναύτης.*

40) 481 sq. 909 sq. Quanta per discrimina Sardes pervenerint copiae, quas secum reduxit Xerxes, cf. Herod. VIII. 115, quippe coactae frondibus, fructibus, herba, corticibus vesci, magnamque partem dysenteria et pestilentia inter viam exstinctae. Quin et rex ipse naufragium non evitasset, nisi Persae desilientes in mare navem levassent.

41) Pindar. P. I. 72.:

νεῦσον, Κρονίων, ἅμερον
ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοίνιξ ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλατὸς
ἔχῃ, ναυσίστονον ὕβριν ἰδὼν τὰν πρὸ Κύμας — cett.

Quem sicuti in ceteris, quae ab eo exstant, fabulis mythis adornandis et interpretandis, iisque ad certas rationes, unde omnia et singula derivari possint, reducendis, nominibus denique omnibus ac singulis pie ac sapienter describendis mirifice *σοφόν*, et omnium Graecorum *θεολόγον* facile principem esse demonstravit Klausen: ita eum ego hac in fabula *πολιτικώτατον* esse dixerim, qui non modo in iis, quae tum erant, Graecorum rationibus politicis, sed in universa etiam quadam omnium gentium et saeculorum historia mirus judex atque arbiter exstiterit. Neque vero illud in fine non observandum est, quantum Aeschylus in tanta gravitate ac sublimitate efficienda ab ipsis, quibus utebatur suae aetatis aequalibus adjutus fuerit. Nam primum haec ipsa bella, quae Graecis nunc adversus Persas sustinenda erant[41b]), maximum illud et ad omnes Graecorum conditiones gravissimum effecerunt, ut Graeci universi jamjam ad unam amplam nationem
conspirare[42]) et omnes pro singulis stare inciperent. Quid, quod 27
eo etiam universalitatis — ut ita dicam — in rebus domi ac foris gerendis et judicandis nunc primum evehebantur, ut ceteris orbis terrarum partibus ad Barbaros delatis, Graeci sibi ipsis Europae tanquam partes gerendas, et suam gloriam, libertatem, culturam denique omnem eandem Europae esse arbitrarentur[43]). Consimilis autem tunc maxime temporis facta est rerum posteris tradendarum immutatio summa, eaque valde memorabilis. Nam missis, in quibus priores potissimum fuerant, fabulis congerendis et ad nudam aliquam narrationem redigendis, jam nunc ad ea, quae praesenti tempore gerebantur, enarranda convertebantur[44]), eaque ita quidem describenda, ut universalis quidem, quo 28
omnia tempora et loca coirent, ambitus, et continuata rerum a priscis aevis usque ad ea tempora, quae nunc erant, gestarum series efficeretur. Qua in re miro quodam modo inter accuratam illam *τῶν συγγραφέων*, quae mox invaluit historiographiam, et

41b) Cf. quae Wachsm. de hac re disserit *hellen. Alterth.* II. initio.

42) Luculentissimum hujus rei exemplum exstat in praeclarissima illa, quam Aristide duce Athenienses ad Persas et Lacedaemonios dederunt, responsione Herod. VIII. 143. 144. Ubi inter alia: *τὸ Ἑλληνικὸν ἐὸν ὅμαιμόν τε καὶ ὁμόγλωσσον καὶ θεῶν ἱδρύματά τε κοινὰ καὶ θυσίαι, ἤθεά τε ὁμότροπα.*

43) Cf. Her. I. 4. *τὴν γὰρ Ἀσίην καὶ τὰ ἐνοικέοντα ἔθνεα βάρβαρα οἰκειεῦνται οἱ Πέρσαι, τὴν δὲ Εὐρώπην καὶ τὸ Ἑλληνικὸν ἥγηνται κεχωρίσθαι.*

44) Id primi fecerunt Asius et Panyasis, cf. Naeke Choer. p. 64. Dionysius Milesius primus Persica bella descripsisse dicitur, cf. Creuzer *histor. Kunst der Griechen* p. 91.

inter fabulosam illam, quam priores secuti erant, quasi fluctuabantur. Nam altera ex parte in antiquis, quae fabulis heroicis continebantur, traditionibus quid veritas, quid fictio esset, certis rationibus dignoscere nescii, id tantum fecerunt, ut quae ibi fabulose et particulariter dicta erant, ea nunc, quoad ejus fieri poterat, ad certam aliquam memoriam et ad universas rationes reducerent. Altera autem ex parte, quoniam antiquam illam indolem, qua fabulose omnia effingebantur[45]), prorsus non prae se ferre nequibant, factum est, ut etiam iis, quae nunc facta erant, describendis mythicam quandam saepenumero speciem adspergerent; tamen ita ut deos, et res divinas frequenter immiscerent, et ita, ut eorum quae nunc erant, causas et primordia a fabulosis illis saeculis repetere amarent. Neque id tantum iis accidit, qui historiam scribendo condere susceperant, sed iis etiam, qui fingendi arte aliquid tradere volebant. Quibus solitum erat et eas, quae nunc
29 adversus Persas gestae erant res cum iis conjungere, quae olim ante Trojam, et porro adversus Amazonas cet. a sanctis heroibus praeclare gesta ferebantur: et ipsa illa fabulosa, quae Olympiis diis cum Titanibus et Gigantibus intercessisse narrabantur certamina in medio proferentes, Olympios Graecorum, devictos autem illos et immanes Gigantes Barbarorum partes gerere fin-
30 gebant[46]). Historicorum autem luculentissimum exemplum est Herodoti in prooemio I, 1—6, quod mira quadam et simplicitate et sublimitate insigne est. Ubi ille sine dubio eos, qui ante ipsum eas res attigerant, magnam partem secutus, *διαφοράν*, quae Graecis nunc cum Persis intercedebat, ab antiquissimis temporibus ita deducit, ut amplissimus omnium saeculorum et nationum

---

45) *Μυθοτόκος Ἑλλάς*.

46) Paus. II. 17. 3. Diod. II. 82. Welk. l. c. Müller l. c. Pari modo imagines illae sculptae Aegineticae, quae nunc Monaci asservantur (Müller *Arch.* §. 903.), duabus figurarum complexionibus quae ab Aeacidis ante Trojam gloriose gesta erant, cum iis conferunt, quae nuper ab eorum posteris in pugna Salaminia patrata erant, facinoribus praeclarissimis. Ibi Paris Persicis vestibus ornatus est, eundem in modum, quo Aeschylus ambas illas sorores, quae Persiam et Hellada repraesentant, cf. not. 31, alteram *πέπλοισι Περσικοῖς*, alteram *Δωρικοῖς* ornatam fuisse finxit. Igitur sicuti heroes illi Aeacidae nunc Trojanos fundunt, ita iidem nuper per posteros suos, et una cum iis, Persas apud Salaminem fuderunt. — — Dissen ad Pind. Nem. III. „Postremo etiam illud notabis, barbaros Lycios, Phryges, Dardanos, Aethiopes ab Achille victos simul ob Persicum bellum paullo ante hoc carmen gestum memorari suaviter, in quo Aeginetae excelluerant. Valde enim placebant iis hae fabulae, quasi praeludia recentium cum barbaris certaminum, pertinentque eodem Telamonis expeditiones adversus Laomedontem et Amazones."

circuitus proponatur, et singulas gentes in eo maximo cum studio occupatas videas, ut longaeva majorum memoria repetita inquirant, ecquis primus primitivam illam, qua omnes homines natura tenentur, affinitatem turbaverit, et quis terribilium, quae nunc utrinque instant, conflictuum et injuriarum primus auctor exstiterit. Quo consilio ductus non modo nobilem illam Achaeorum adversus Trojanos expeditionem[47]), sed Argonautas etiam, et ipsam avitam Ium arcessit, per quam primum simul propinquitatem et inimicitiam sibi cum Barbaris intercessisse fingebant Graeci.

Cap. II.

Jam hoc in loco videndum, qualis fuerit Aeschylus in certis 31
illis ideis tragicis ea re, quae Persarum fabulae materies est, exprimendis. Qua in re non id mihi volo, ut frequentem ab eo, et a ceteris tragicis, deorum et divinarum rerum commemorationem, vel multas bonas sententias immixtas, quibus spectatores ad omnem virtutem excitari possint, — ut talia ab eo exigam. Non decet poetas magistros esse velle, etiamsi plurimi sint, qui talia ab iis efflagitent. Verum illas cogitationes dico, atque illa principia, ut scholam tuear, aeterna, quorum primarium illud est, quo necessitatem quandam divinam, legem divinam in rebus inesse affirmatur; quae sicuti omni, qua Graeci in rebus humanis atque divinis judicandis, in sentiendo denique et in agendo utebantur, rationi, et omni eorum vitae, ita ei etiam instituto maxime suberant, quod omnis vitae Graecae et splendidissima et praesentissima imago erat, tragoediae, tali, qualis antiquis Graecis erat. Igitur juvabit de illis ideis paullo altius orationem repetere.

Quod natura fit, id fas est fieri[48]). Illa naturalis necessitas 32

47) Cf. cap. 4. *ἀπὸ τούτου* (i. e. ab eo tempore, quo Graeci Trojam diruerant) *ἀεὶ ἡγήσασθαι* (*τοὺς Πέρσας*) *τὸ Ἑλληνικόν σφισιν εἶναι πολέμιον*. — Nam Persae suorum Asiam, Graecorum Europam esse arbitrabantur; et item sine dubio Graeci. [Diod. Excerpt. Vatic. p. 112. Collect. nov. Vol. II. *τὸν γὰρ Τρωϊκὸν πόλεμον* — — *ἐν ᾧ τῆς Εὐρώπης πρὸς τὴν Ἀσίαν διαπολεμούσης, καὶ τῶν μεγίστων ἠπείρων ὑπὲρ τῆς νίκης διαφιλοτιμουμένων*].

48) Haec formula fusius tractanda et frequentibus scriptorum omnium, poëtarum maxime et philosophorum, testimoniis firmanda erit, si aliquid cum ea mihi velim. Quamquam ea id, quod Veteribus fatum esse putabatur, in universum saltem apte exprimi dixerim. — Ceterum cf. Klausen de The-

est, secundum quam omnes res, quales sunt, tales natae sunt, et tali feruntur nascendi, vivendi, intereundi cursu, ut certo quodam singularum ac omnium suis occasionibus contingentium nexu, et continua causarum et effectuum sese invicem excipientium consequentia contineantur. Illa lex divina est, per omnes modos sibi constans, qua ita adornata et distributa sunt omnia, ut certus omnium rerum finis (*τέλος*) et aeternus quidam ordo, et consilium (Sinn *νοῦς*) in iis cernatur. Ea funguntur Coelites, optimi maximi, quippe qui aeternum illud consilium noverunt atque id exsequi volunt et valent[49]. Homines autem tales nascuntur,
33 qui altera ex parte naturalibus istis conditionibus obnoxii sint, altera vero ex parte tales nascuntur, ut se ratione atque consilio et ipsos praeditos et divinae naturae quodammodo participes esse sciant. Igitur et instrumenta sunt, eundem in modum, ut ceterae res naturales, quibus utuntur Dii ad id quod Fas et Bonum est exsequendum; et sui conscii sunt ut talium, qui certis consiliis aliquid velle (*νοεῖν*) et id ratum facere (*τελειοῦν*) possint. Quod si id facere volunt, quod diis probatur, i. e. quod Fas et Bonum est, tum ex naturali ista necessitate exemti, consummata libertate et tanquam divinitate olim gaudebunt. Sin autem id quod dii volunt, ipsi nolunt, tum in necessitatem istam caecam instricti et prorsus implicati pessumdabuntur, et miserabi-
34 les interibunt[50]. Quae sit illa sancta necessitas, illa lex divina, quam volunt dii, hoc non solum ex ipsa natura, quae illam omnibus modis prae se fert, vel ex sua ipsorum ratione, quae se aeterni illius consilii participem novit, intelligere est; verum ipsi etiam dii, quae eorum clementia est, frequentibus indiciis[50b] id quod Fas est manifestum reddidere, quae tum in priscis illis de diis atque heroibus mythis sanctis, tum in cultu publico, tum in

---

mide p. 34. et de Parcis 36., Blumnerum, qui p. 164 sq. de eo, quod Aristoteli fatum fuerit, ingeniose disserit.

49) De ratione, quae diis, nominatim Jovi cum fato intercesserit, haud constant singulorum Graecorum, quibus de tali re aliquod judicium competit, sententiae. Neque vero id mirum, quoniam quod verum est nisi sensim non reperitur. Quas sententias deinceps recensere atque ad certas rationes, quoad ejus fieri poterit, revocare, et jucundissimum et ad omnem graecae religionis rationem illustrandam utilissimum erit. De Aeschylo, qui ut ceteris partibus, ita hac etiam facile princeps est, v. Klausen theol. 65. Quamquam quae p. 37. disseruntur, ea equidem speciosius quam verius dicta dixerim.

50) *Μίμνει μίμνοντος ἐν χρόνῳ Διὸς παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ.* Ag. 1563. — Cf. Klausen theol. 84 sq.

50b) *δῆλα δὴ πολλοῖσι τεκμηρίοισί ἐστι τὰ θεῖα τῶν πρηγμάτων.* Herod.

portentis et oraculis frequentibus, in universa denique divinatione cerni possunt[51]).

Jam vero videamus, quomodo haec Noster in Persis fabula expresserit. Revertamur ad Phineum. Ibi ego haec fere oraculis illis identidem memoratis pronuntiata fuisse crediderim: Ita ab ipsa Natura[52]) facta est Terra[53]), ut ea in duas continentes[53b]), quibus Asiae atque Europae nomina ab hominibus data sunt, dilabatur[54]), Hellesponto tanquam sacro quodam confinio disjunctas[55]). Diversi per utramque olim populi disseminati sunt, quorum sua quisque climata sortitus, ea tanquam aeternum quoddam dominium, humana et divina lege sacrum, tenet. Igitur, quoniam ea ita ab ipsa Natura facta atque distributa sunt, illud fas esto, et qui hanc legem migraverit, ille sacer esto[56]).

---

51) De arcto totius divinationis cum fato connexu plurimum inter Graecos disputabatur, abs quo Stoici τὴν εἱμαρμένην, Heraclitum ut in aliis, ita hic etiam secuti, in ipsa systematis fronte posuerant. De quibus contentionibus, inprimis memorabilibus nonnulla exstant apud Ciceronem de div. et de fato, Plutarchum, et Alexandrum Aphrodis. περὶ εἱμαρμένης.

52) Multa quae hic attinent invenies apud Klaus. theol. cap. II. de regno Telluris.

53) Cf. Prom. 835. μέλας κόλπος Ῥέας. Prs. 792. αὐτὴ γὰρ ἡ Γῆ ξύμμαχος κείνοις πέλει hac maxime ratione enarranda. Cf. not. 75.

53b) Libyam tertiam partem continentis dicit Pindarus Pyth. IX. 8. ῥίζα ἀπείρου τρίτα. Cf. Her. IV. 42. et quae Boekh ad illum locum animadvertit.

54) De mythica Asiae et Europae ex Oceano procreatione, quam Scholiastes, priores fortassis nescio quos secutus, ex versu 185 enucleat, v. not. 31. Equidem ei assentior, nam etsi non diserte hisce vocibus ille sensus insit, tamen tecte, et ita, ut tale quid in mente habentem Aeschylum eas scripsisse dixeris.

55) ὁ ἱερὸς Ἑλλήσποντος 745. Fortassis etiam Helles fata, per quam illud fatum sacrum exstiterat, Phineo immiscebantur — Prs. 798. ὁ τῆς Ἀθαμαντίδος Ἕλλης πορθμὸς et saepius.

56) Klausen. p. 181. „Simplicissimum erit, hoc statuere, his oraculis pronuntiatam esse ipsam illam terrae marisque distributionem, ut Asia cum bellorum terrestrium gloria Persis, mare Graecis assignatum sit." Ea ego sequor, praeterquam quod gloriam maritimam et terrestrem missam velim. Nam ut taceam, quae a Viro docto de Glauco, Dario, Phineo, Prometheo denique aquae, terrae, aëris et ignis veluti vicariis nimis argute ac paene jocose disseruntur: etiam mare et terram Persis et Graecis assignatam sibi voluisse Aeschylum, hoc neque singulis locis, quos promit Klaus., neque etiam universa fabulae indole prodi videtur. — De loco 101—107. v. infra. Ceterum adjunctis quae a versu 108 sq. dicuntur, eaque arctissime cum iis, quae antecedunt, conjuncta ἔμαθον δ' εὐρυπόροιο θαλάσσης etc., illud nequaquam hic dixisse Nostrum patet, Persis terrestrem tantum gloriam divinitus tributam esse. Apparet autem, quam sapienter Aeschylus talia fabulis suis immiscuisset, si immiscuisset, quippe sapientissimum illud, quo Athenae servabantur atque ad summam futuro tempore gloriam eveheban-

36 Quae in Phineo obscurius et ita, ut eorum est, qui aliquid olim futurum praenuntiant, praesignificata erant, ea in Persis et in Glauco rata fiunt, et manifesto aguntur, et quidem ita, ut antiquum illud vaticinium in utraque fabula, in Persis a Dario, in Glauco a Glauco vatibus excipiatur, enarretur, amplificetur. In
37 Persis enim hoc ita factum est, ut Persarum potissimum ratio haberetur. In Glauco sine dubio consummata erat Graecorum omnium laus, libertas, beataque, quippe quae aeterna lege sancita esset, conditio. Nos autem, quoniam cetera edax vetustas consumsit, iis jam, quae in Persis fabula exstant, ita utamur, ut quam maxime fieri poterit certam imaginem, et continuam quandam earum causarum, propter quas ingens illud malum Persis acciderit, seriem efficiamus.

Persis Asia, Graecis Hellas assignata[57]). Igitur fas esto, suis utrosque terminis sese contineri, et nefas esto, sacrum illud Hellesponti confinium ab utro turbari. Verum enimvero factum est, ut turbaretur a Persis. Factum est, igitur praedestinatum erat etiam hoc, nam omnia praedestinata sunt. Praedestinatum
38 autem hoc ita erat, ut, quoniam fas erat confinium illud servari, nefas turbari, ii autem, qui id quod nefas est facere nihilominus non metuunt, atrocissimis a diis poenis afficiuntur, eam igitur ob causam nefario illi Xerxi[58]), qui illud fecerit, et Persis, quorum Xerxes rex esset[58b]), crudelissimae poenae praedispositae essent atque praedeterminatae[59]).

Aequalia omnia a Natura facta sunt, et ita sua unicuique tributa, ut ille communem istam aequalitatem servatam velit. Ita

---

tur, Themistoclis consilium luculento splendidissimae tragoediae documento adjuvans.

57) *ἡ μὲν Ἑλλάδα γαῖαν, ἡ δὲ βάρβαρον κλήρῳ λαχοῦσα* cf. v. 762 sqq. *ἐξ οὗγε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τὴν δ' ὤπασεν, ἕν' ἄνδρ' ἁπάσης Ἀσίδος ταγεῖν, ἔχοντα σκῆπτρον εὐθυντήριον.* — De Jove reges constituente v. Klaus p. 82. Quantae curae id Nostro fuerit, ut spectatorum animi ad hanc idearum consequentiam attenti reddantur, id ex eo etiam elucet, quod Darium ex primis quibusque Persicarum rerum primordiis orationem ducentem fecit.

58) *θούριος Ξέρξης, δύςποτμος, ἔκθυμος.*

58b) Ex prisco jure peccante rege una plectitur populus, monente Welckero Prom. p. 384. cf. Pind. Pyth. X. 47.

59) *γίγνεται γὰρ οὐ τὰ μὲν, τὰ δ' οὔ,*
i. e. non tam, omnia rata fiunt, quam: alia non rata fiunt, cum alia rata facta sint. Factum est, ut Xerxes Hellespontum junxerit, Graeciam invaserit. Hoc nefas erat. Igitur etiam illud fiet, ut Xerxes poenas malas daturus sit. — Idem dicitur illis verbis venustissimis: — *ὅταν σπεύδῃ τὶς, αὐτὸς χὼ θεὸς ξυνάπτεται.*

etiam Persis Asia data erat. Quibus laetissima a diis rerum domi
et foris gerendarum incrementa concessa, quamdiu *εὔφρονες*
futuri essent[60]), seque inter fatales, qui ipsis positi erant, ter- 39
minos continerent. Verum jamjam nimis magnus evadere coe-
pit *ὁ ὄλβος*[61]) Persarum, adeo magnus ut primitivae illi aequa-
litati cavendum esset. Expergefactum est igitur *τὸ θεῖον φθο-
νερόν*, illa, quae dicitur, deorum invidia, quae generalem illam
lege divina sancitam aequalitatem anxie tuetur, ipsa necessitas
divina sollicita et invidiosa propter eos, qui ipsam excedere, et
supra ipsam superbire (*ὕβρις*) velint, et ita prae illis sibi cavens,
ut illi perdantur, ipsa conservetur. Igitur e benevolis nunc falla-
ces facti sunt dii. Jamjam benevolentiam Persis simulare[62]),
blandiri iis, eosque ad extrema quaeque fortunae pericula fa-
cienda incitare[63]). Sentiunt hoc senes chorici et Atossa, sed 40
sero, ubi Xerxes jam peregre est ad id, quod nefas erat fieri, ex-
sequendum miserabilis. Suspensi interim sunt eorum, qui Susis
rem agunt, animi, et incitati ab iis sermones sparguntur[64]). Ex-
tremam quandam anxietatem atque sollicitudinem prae se ferunt
quaecunque et dicuntur et aguntur. Crescit metus, ubi Atossa
introit. Jamjam manifesta fieri, et tanquam in aprico poni quae
instant. Vix somnium illud et portentum, quod Atossae modo
acciderat, enarratum est, en nuntium mali! — *ὡς ἐν μιᾷ πληγῇ
κατέφθαρται πολὺς ὄλβος, τὸ Περσῶν δ' ἄνθος οἴχεται
πεσόν*. — Deinde manes Darii ab inferis evocantur, salutem alla-
turi. Adscendit ex Orco Magni Regis umbra, regiae divinitatis
insignibus ornata, tranquillaque gravitate praesentes alloquitur
fati aeterni interpres divinus. Denique redux Xerxes, habitu et
fortuna foedus. Ingentibus querelis et ejulationibus fusis lugen-
tem lugentes ad aedes regias deducunt Xerxem senes.

---

60) 772. *θεὸν γὰρ οὐκ ἤχθηρεν ὡς εὔφρων ἔφυ.*

61) 160 sq. *δέδοικα, μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός.*

62) *δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ τὶς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει — φιλόφρων γὰρ σαίνουσα τὸ πρῶτον παράγει βροτὸν εἰς ἀρκύστατα, τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.*

63) *θεόθεν κατὰ μοῖρ' ἐκράτησεν τὸ παλαιόν, ἐπέσκηψε δὲ Πέρσαις πολέμους διέπειν* etc. — Igitur ingentem illam bellorum terra marique gestorum molem, turribus, urbibus dirutis, moeniis, aquis, navibus conspicuam mali illi daemones, qui Persis infesti erant, machinabantur. *ἀλάστωρ, στυγνὸς δαίμων, κακὸς δαίμων, παλαιὸς δαίμων, δυσπόνητος δαίμων* cet. Eos tota fabula redolet.

64) Hoc metro etiam, mira arte moribus accommodato, expressum esse observat Herm.

41 Xerxe tanquam instrumento [65]) utuntur dii ad id, quod fatum erat fieri, exsequendum. Vide autem, quanta fuerit Xerxis noxa. Qui primum Darii *παράδειγμα*, quippe qui ceteris partibus incolumis [66]), ubi primum Graeciam invadere coeperat, adversa fortuna usus [67]), deinde etiam ejusdem mandata aspernatus [68]) id quod nefas erat patrare non dubitavit. Praedisposita illa Persarum portione (*μοίρᾳ*), aeternis legibus constituta, parum contentus, e finibus sibi praescriptis [69]) excedere ausus, sanctum illud Europae et Asiae confinium ponte junxit [70]) et ita Neptunum et ceteros deos infestos sibi reddidit [71]), deorum de-
42 lubra a Graecis posita evertit, templa adussit, aras disturbavit [72]). Quapropter atrocissima, quae deorum immortalium justitia est,
43 Xerxem et eos qui eo duce talia fecerunt, supplicia manebant [73]); Graecos servant dii, iis caventes, quae Graecis secundum divinam

---

65) Darius *φεῦ*, inquit, *ταχεῖα ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἔς τε παῖδ' ἐμὸν Ζεὺς ἐπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων.*

66) 555. 164. 652. 711. 855.

67) 244. etc. *οὐκ ἂν φανεῖμεν πήματ' ἔρξαντες τόσα.*

68) *οὐ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς.*

69) *ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα.*

70) *Ἑλλήςποντον ἱερὸν δοῦλον ὡς δεσμώμασιν ἤλπισε σχήσειν* cet.

71) *θνητὸς ὢν θεῶν πάντων καὶ Ποσειδῶνος κρατήσειν ᾤετο.* [Cf. Paus. II, 1, 5 de conatibus eorum qui Isthmos perfodere volebant (*οὕτω χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι*) et Herodot. I, 174 de Cnidiis Isthmum non perforantibus].

72) *οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ' οὐ θεῶν βρέτη ᾐδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς.* Quantum inde factum sit ad Persarum interitum, patet ex magna vi, quam Themistocles etiam et Aristides inde ceperunt ad Graecorum animos adversus Persas exacerbandos. Herodotus tantam temeritatem notare non desinit. Vide quae ille de his sceleribus in praeclara Aristidis responsione identidem memorata scribit. Cf. etiam Plutarch. in Themistocle et Cornel. Nep. in ejus vita, et quae ibi ab interpretibus addita sunt. Ceterum haud dubie inter deos, qui ob templa vastata vindictam sumserint de Persis, non infimam Aesch. putabat Cererem Eleusiniam. Narrat enim Herod. quosdam e deserto templo Eleusinio, dum Xerxes Atticam vastaverit, resonantem audivisse cantum mysticum, vidisse speciem pompae immensae mystarum — VIII. 65. — ac deinde tum Plataeense tum Mycalense proelium prope fana Cereris commissum esse IX. 65. 101. — A qua vocem illam missam esse suspicatur, quae Graecis trans mare nuntium attulerit de victoria Plataeensi. Neque non in toto illo bello Persico divinum agnoscit numen pius Herod., quod procellis et naufragiis Persarum classem infringit, ut quodammodo Graecos iis aequet VIII. 13. — *ἐποιέετο πᾶν ὑπὸ θεοῦ* — quod Pausaniae victoriam Plataeensem tribuit IX. 78., quod Graecos excitat ad liberandos Iones IX. 91., eorum denique, qui ad Mycalen pugnaturi erant, animos divinae vocis emissae prodigio firmavit IX. 100. — *δῆλα δὴ πολλοῖσι τεκμηρίοισι· ἐστι τὰ θεῖα τῶν πρηγμάτων.*

73) *νῦν κακῶν ἔοικε πηγὴ πᾶσιν εὑρῆσθαι φίλοις.*

illam legem competebant[74]). Persis autem cum ceteri dii, tum ipsa terra, cujus dispositio ab illis modo turbata erat, infesta est[75]). Miserabilibus cladibus, vehementibus tempestatibus divinitus immissis ad unum omnes intereunt[76]). Tam manifesti erant illis dii malis, ut etiam si quis impius, et qui deos esse negaverit, inter Persas fugitivos fuerit, ille, talia expertus, deos esse, eosque justos et maximos, tam luculentis documentis doctus
fuerit[77]). Relictorum autem cadaverum cumulati acervi ad ter- 44
tiam usque aetatem magnum illud propagant et mutui pronuntiant: *Μηδὲν ἄγαν. Μηδὲν ὑπέρφευ*[78]).

Attinebit in fine ea paucis resumere, quae ego supra praefabar de gravitate religiosa mythicis quidem argumentis praecipue propria, historicas autem res aliquantum deficiente.

Dicebam hanc religionem praecipuam in eo potissimum niti, quod mythis, idearum omnium de rebus divinis et humanis in-
volucris, publico cultu et usu religioso receptis, fides atque san- 45
ctitas ab omnibus omnium aetatum et ordinum Graecis tribuebatur. Tragoedia ex mythis procrevit, inde non solum originem, verum materiam etiam, unde nutriretur, repetens. Ita tum secundum ejus formam, tum secundum materiem religiosum quoddam institutum erat, quo publica religio enarraretur et amplificaretur. Jam vero mythicum illum campum reliquit, historiam aggressa. Vide quid agendum fuerit illis poetis, qui historiam inferre conabantur, et quid hisce conatibus ad omnem Graecorum religionem et disciplinam factum sit. Agendum iis erat maxime hoc, ut historiam ad analogiam ejus fidei, quae mythis habebatur, interpretarentur. Qua in re ad spectatorum animos erudiendos mirum quantum efficiebant. Primum ut eos praeclarissima illa facinora, quae modo in certamine cum Persis gesta erant,

---

74) *θεοὶ σώζουσι Παλλάδος θεᾶς. — ὡς γὰρ θεὸς ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης.*

75) *αὐτὴ γὰρ ἡ Γῆ ξύμμαχος κείνοις πέλει.*

76) Cf. v. 495 sq. *νυκτὶ δ᾽ ἐν ταύτῃ θεὸς χειμῶν᾽ ἄωρον ὦρσε* cet.

77) *θεοὺς δέ τις τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ τότ᾽ ηὔχετο λιταῖσι Γαῖαν Οὐρανόν τε προσκυνῶν.* Stanlejus haec ex religione Persarum fuisse monet. Quamquam ego Aeschylum illud maxime et hoc in loco sibi voluisse crediderim, ut ipsos Persas universam naturam, et sanctum Naturae ordinem (*Γῆ καὶ Οὐρανός*) a se laesum esse sensisse significet.

78) 807. 818. 827. 831. *θῖνες δὲ νεκρῶν καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασιν βροτῶν ὡς οὐχ ὑπέρφευ* (i. e. *ὑπὲρ τὴν φύσιν, ὑπὲρ τὴν αἶσαν*) *θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.*

non tam a semet ipsis, quam a diis, res omnes ac singulas procurantibus et operantibus, docerent, vel potius ita a se ipsis ea patrata esse, ut ipsi ea cum diis, et dii per se illa absolverint. Deiñde eas, quae mythis tanquam symbolicis involucris tenebantur, ideas illi nunc devolvebant atque explicabant, easque ad omnes res praeteritas, praesentes, futuras, gestas atque gerendas
46 referre spectatores docebant — referre? potius ideas illas, quibus gravissima quaeque de rerum ordine, de deorum numinibus, de hominum conditionibus continebantur, tanquam aeternas, per omnes modos et formas sibi constare, easdemque in fabulosis illis temporibus et rebus sanctis, easdemque in omnibus omnium temporum et conditionum rebus inesse et cerni posse indicabant. Ceterum apparet, quantum Phrynichus, Aeschylus, Choerilus, et qui ceteri ejuscemodi carmina pangebant, quantum hi viri illis ipsis rebus, quibus ad eum finem primis utebantur, adjuvarentur. Nam bella Persica non solum omnibus Fati et divini Numinis documentis quam maxime conspicua erant, gravissimaque ad omnes Graecorum conditiones tum domesticas, tum publicas: verum etiam inde ab hoc ipso tempore maximam religionis, fidei, cultus omnis apud Graecos immutationem factam esse videmus — id quod partim per ipsa illa bella factum est, partim propter alias causas, quas recensere nunc longum est. Choerili carmina interiisse dolendum sane est vehementer, propterea quod multa sine dubio inde ad novum illud poeseos genus historicum illustrandum derivari potuerint. Quamquam illum poetam ingenio ac arte parum valuissse crediderim, qui per se magni aestimandus fuerit. Accedit, quod pius ille atque bonus Herodotus
47 nobis constat, qui et ipse dimidio epicus est, et fontes, ex quibus in harum rerum enarratione hausit, Dionysium scilicet Milesium, Choerilum, neque non ipsum Phrynichum vetustum et Nostrum adeo prae se fert, ut illi rursus ex eo saltem ex parte recognosci queant.

II.

DE HELLANICO LESBIO HISTORICO.

(Imperiali litterarum universitati Alexandrinae Fennicae idibus iuliis a. MDCCCXL sacra secularia altera feliciter procuranti ex animi sententia gratulatur imperialis litterarum universitas Dorpatensis. Dorpati Livonorum ex officina academica J. C. Schünmanni viduae MDCCCXL. 4°.)

Praeclare Cicero in prooemio Oratoris in artibus atque disciplinis ait non solum principibus in quoque genere locum esse, velut in poëtis Homero, Archilocho, Sophocli, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos; quod mirifice pertinet tum ad ingenia incitanda, tum ad genuinam illam humanitatem commendandam, quae suum cuique tribuere sapiat et in inferioribus etiam ingeniis quid quisque valeat ac mereat aequa existimatione pensitet. Namque etiamsi summa non possunt nisi a summis perfici, tamen ad summa non pervenitur nisi per gradus quosdam inferiores; quibus qui pro virium parte ad id quod ipsis maximum erat enituntur, etiam illi iure sibi consummatae laudis partem possunt vindicare. Accedit quod omnis artium atque litterarum historia nihil aliud est nisi continuata quaedam, quibus summa imis aptantur, diversissimorum ingeniorum explicatio; quam qui recte sequi callideque nosse velit, oportet eum non solis summis fastidiose delectari, verum in mediis quoque ac secundis studiosum atque eruditum esse. Sic in historia Graecorum antiqua princeps confessione omnium est Herodotus; neque certo, si stilum spectas, tenuis illa logographorum oratio cum suavissimis Halicarnassei Musis comparari poterat, neque, si res exprompt as, fabulosa antiquitatum, rerum sacrarum, stirpium denique et familiarum expositio cum narratione illustri, summa factorum gravitate, praecipua gentium atque regionum nobilitate distincta. Nihilominus etiam illi apud veteres laudem

habebant plurimumque ad civitatum singularum templorumque monumenta enarranda, locorumque traditiones ad communem usum propagandas fecisse putabantur; quin propter gratiam quandam nativumque in eloquendo decorem etiam delicatioribus
2 talium rerum arbitris, velut Dionysio Halicarnassensi commendabiles videbantur [1]). Ita factum ut recentiores quoque quid de illis explorari posset industriose quaererent; quod postquam eximio cum fructu praeiverat Creuzerus, secuti sunt alii, ut nunc ferme omnis istorum historicorum, de quibus nonnisi ex fragmentis constat, memoria peculiaribus scriptionibus illustrata sit, quibus et quae apud diversissimos auctores ex singulis adhibentur in unum locum solent componi, et de vita cuiusque deque testimoniis veterum, quibus vel laudantur vel vituperantur, diligenter disputatur. Quod ad omnem litterarum tractationem fructuosissimum esse constat inter omnes; sed nescio an non optima plerumque eae disquisitiones instituantur forma. Etenim non multi istuc quidem negotii est, scrutari indices, locos excerpere, numerare, adnotare, de vita atque scriptis cuiusque commentari, quamquam etiam hoc laudabile est; verum restat quod maximum est atque difficillimum, ut, qui veluti discerptis Orpheus membris iacet scriptor, is ad corporis etiam illius olim robusti si non veram figuram, tamen similitudinem quandam atque divinatam speciem instauretur. Quod sicuti a plerisque parum efficitur, ita Sturzius quamquam iteratis curis tractavit Hellanicum Lesbium [2]), tamen permulta aliis observanda reliquit. Nam titulos ille quidem operum Hellanici enumeravit, fragmenta congessit atque explicuit; quamquam in his quoque, quae primo impetu perficiuntur, multum caecutivit: interiorem vero librorum rationem si quaeras omnemque, quo in argumento explicando scriptor versatus sit modum si respicias, ferme nihil doceberis. Quae cum ita sint, operae pretium futurum iudicavi, si quod ille neglexit, ego gravissimum in talibus commentationibus esse existimo, praestare in Hellanico conarer; qua in re dici non potest quantum adiutus
3 sim egregia dissertatione Boeckhii de Philochoro [3]), optimo sub-

1) De Thucyd. iudic. 5. ubi de antiquis illis scriptoribus in universum, *ἐπιτρέχει μέντοι τις ὥρα τοῖς ἔργοις αὐτῶν καὶ χάρις, τοῖς μὲν πλείων τοῖς δ' ἐλάττων, δι' ἣν ἔτι μένουσιν αὐτῶν αἱ γραφαί.*

2) Hellanici Lesbii fragmenta e variis scriptoribus collegit etc. F. Guil. Sturz. Editio altera. Lipsiae 1826. 8.

3) Ueber den Plan der Atthis des Philochoros, Histor. philolog. Abhandlungen der K. Akad. der Wissenschaften z. Berlin a. d. Jahre 1832 p. 1—30.

tilioris istius, quam significavi, fragmentorum tractandorum ra-
tionis specimine; quod ut aequare viribus meis negatum fuerit,
ita iucundissimum fuit pro virili parte imitari.

Qua in re ut iam primum quae de vita Hellanici maxime
explorata videntur paucis repetam, consentiuntur omnes eum
Mitylenaeum fuisse. De aetate si quaeras, multae occurrunt du-
bitationes, quae tamen satis nunc excussae sunt a viris doctissi-
mis, maxime a Dahlmanno et Kruegero [4]). Narrat enim ex Hel-
lanico Schol. Aristoph. Ran. v. 705 quod factum est post pugnam
ad Arginusas Ol. 93, 3 h. e. a. 406 a. Chr. commissam, ut pa-
teat eum hoc anno superstitem fuisse. Vixit annos octoginta
quinque, teste Luciano in Longaevis c. 22, natus vero est anno
victoria aliqua, quod ipsum nomen Hellanici declarat [5]), prae ce-
teris nobili. Quem annum quaerenti ultro offertur testimonium
auctoris vitae Euripideae, qui uno eodemque die Euripidem at-
que Hellanicum in lucem editos esse refert, pugna illa Salaminia
faustissimo; quam notationem ne ex nomine fictam opineris fa-
cit, quod optime sic cetera conspirant, Pamphilam [6]) vero Sui-
damve si sequaris, ratio prorsus impedita exsistit. Vides igitur 4
natum fuisse Nostrum Ol. 75, 1, a. 480, ut quinque annis iunior
fuerit Herodoto, mortuum esse Ol. 96, 2, a. 395. Tetigit igitur
tempora illa ingeniis atque opibus florentissima, ubi repulsis Per-
sis mirifice Graecorum res effloruerunt maximeque valuit res-
publica Atheniensium, quae adeo mox litteratis hominibus fre-
quens erat, ut τὸ πρυτανεῖον τῆς σοφίας apelletur Hippiae
Platonico, Protag. p. 337. D, qua laude ante bella Persica con-
spicuae fuerant Miletus, Samos aliaeque civitates Asiaticae. Qui-
bus etiamsi primam litterarum institutionem debuerit primosque
etiam studiorum fructus dedicaverit Hellanicus, tamen mature

4) Dahlmann in quaestt. de Herodoto, Forschungen auf d. Gebiete d. Geschichte II, 1 p. 122; Krueger in vita Thucydidis p. 28.

5) Ἑλλάνικος, compositum ab Ἑλλάς et νικῶ, v. canones Theognosti ap. Cramer Anecd. Gr. Vol. II, p. 59, 30; Lobeck ad Phrynich. p. 670; [Meineke histor. critic. comic. graec. p. 249. Simile nomen Lesbonici apud Plautum Trinumm.]

6) Pamphilae ap. Gell. N. A. XV, 23 nuper patrocinatus est Goellerus in vita Thucydidis, novae Thucyd. editioni praemissa p. 9; quem contra acriter disputavit Krueger in libello inscripto Epikritischer Nachtrag zu den Untersuchungen üb. d. Leb. d. Thukyd. Berlin 1839. Ad Suidam quod attinet, videtur confudisse duo diversorum litteratorum iudicia, quorum alteri Hellanicum statuebant supparem fuisse Hecataeo atque Amyntae I, alteri recte censebant Hellanicum, Herodotum, Euripidem, Sophoclem eadem aetate floruisse, h. e. temporibus Perdiccae II. Noli igitur emendare cum Clintone F. H. Vol. II. p. 371 ed. sec.

eum Athenas contendisse verisimile est, unde omnem Atticam diligenter pervestigavit, cuius diligentiae documentum erat opus eius Atthis inscriptum, nobilissimum earundem quaestionum apud antiquiores specimen, quas postea impense coluerunt Phanodemus, Philochorus, alii. Neque tamen solis Athenis operam suam navabat, verum cetera etiam Graeciae oppida, si quod monumentis historiae maxime insigne erat, peragravit, veluti Carneonicarum tabulas excussit Spartae, Sacerdotum Iunonis Argivae commentarios antiquos, unde opus chronologicum composuit, Argis scrutatus est, Thebisque etiam et in Phocide, Thessalia, Aetolia versatus erat. Num vere tradat Suidas, Hellanicum in aula Perdiccae II aliquamdiu vixisse, incertum est; potius crediderim, Siciliam atque Italiam inferiorem ab eo peragratas esse; certe Hellanicus inter eos est, qui de Italia fabulisque Italicis primi commentati sunt accuratius [7]). Num Orientem quoque obierit per mihi dubium est; licet omnes eum de Aegypto, Libya, variisque nationibus Asiaticis scripsisse affirment, quos tamen libros subditicios fuisse facile, opinor, concedent qui quod ex illis exstat paulo diligentius mecum considerare velint.

5 Quid? si legas haec, quae apud Arrianum Dissertatt. Epict. II, 19 et Gell. N. A. I, 2 ex Aegyptiacis Hellanici citantur: *τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά, τὰ δὲ κακά, τὰ δ᾽ ἀδιάφορα· ἀγαθὰ μὲν οὖν αἱ ἀρεταὶ καὶ τὰ μετέχοντα αὐτῶν, κακὰ δὲ κακίαι καὶ τὰ μετέχοντα κακίας, ἀδιάφορα δὲ τὰ μεταξὺ τούτων, πλοῦτος, ὑγίεια, ζωή, θάνατος, ἡδονή, πόνος*: utrum censes haec priscam logographorum simplicitatem redolere Stoicumque Lesbium ante Stoicos exstitisse [8]), an

---

7) „Auffallend tritt sonst Hellanicus als der Mann hervor, der leicht am meisten dazu beigetragen haben möchte, die italische Geschichte in das Netz der griechischen Geschichtssage zu ziehen, das sie nun nicht wieder losliess.“ Sic Dahlmannus. Sed magis etiam eo pertinuerunt commentarii Antiochi Syracusani.

8) Permirum non offendisse in illis neque Sturzium, qui scribit: „Hellanicus igitur fortasse auctor fuit illius dogmatis, quod postea in Stoicorum scholis valde frequentatum fuit,“ neque Dahlmannum, qui sic iudicat: „Dergleichen Ansichten sind eben nicht im Sinne Herodots, müssen uns aber die Persönlichkeit des Hellanicus anziehend machen, insofern sie aus ihm ursprünglich hervorgingen.“ Idem quod censet, Hellanicum nihilominus Aegyptum nunquam ipsum vidisse putandum esse, id de auctore illo Aegyptiacorum aperte falsum esse arguit titulus *ἡ εἰς Ἄμμωνος ἀνάβασις*. Cf. Plutarch. de Is. et Osir. c. 34 *καὶ γὰρ τὸν Ὄσιριν Ἑλλάνικος Ὕσιριν ἔοικεν ἀκηκοέναι ὑπὸ τῶν ἱερέων λεγόμενον· οὕτω γὰρ ὀνομάζων διατελεῖ τὸν θεόν* [cf. Partheji notam p. 227]. Personatum Hellanicum fuisse, non alium recentioris aetatis cognominem, intelligitur inde,

a personato aliquo Hellanico composita esse, philosophiam arroganter cum historia miscente, eodemque vero etiam rerum commenticiarum amatore impotenti, quod significat Photius Bibl. p. 177 Hoeschel. Accedit quod neque eorum, quae ex iisdem Hellanici Aegyptiacis laudantur apud Athenaeum XI, p. 470 D; XV, p. 679 F; 680 B talis indoles est, ut antiquo Hellanico illisque temporibus, ubi Aegyptus recens patefacta erat, probabiliter tribui possint. Neque ipsi Athenaeo exploratum erat de fide harum commentationum, v. Athen. XIV, p. 652 A *φοίνικα τὸν καρπὸν καὶ Ἑλλάνικος κέκληκεν ἐν τῇ εἰς Ἄμμωνος ἀναβάσει, εἰ γνήσιον τὸ σύγγραμμα*, quem librum partem vel appendicem Aegyptiacorum fuisse vidit iam Vossius. Eiusdem vero originis fuisse affirmaverim eos commentarios, quos ex Herodoto atque Damaste impudenter compilatos fuisse tradit Porphyrius ap. Euseb. Praep. Evang. IX, 39 p. 466 B *τὰ βαρβα-* 6
ρικὰ νόμιμα Ἑλλανίκου ἐκ τῶν Ἡροδότου καὶ Δαμάστου συνῆκται, unde omnes vehementer in Hellanicum invecti sunt, atrox recte iudicantes facinus fuisse, quod aequalium volumina furatus sit atque in sua ipsius transscripserit, idque sine ulla dissimulatione. Nam primo quoque obtutu furtum illud deprehendi potuisse satis ostendunt quae ex *νομίμοις* istis laudantur apud Suidam et Etym. M. v. *Ζάμολξις* comparata cum Herodoto IV, 95, frustraque Dahlmannus l. c. p. 127 et Goellerus in vit. Thucyd. p. 46 consensionem illam negaverunt eam esse, unde tale quid concludatur [9]). Tantam vero impudentiam qui iam priscis illis temporibus tribuit, ubi tanta undique ad homines rerum cognoscendarum studiosos materies affluebat, ut prima quaeque notare scriptisque condita divulgare quam ornatum ullum sermonis addere resque passim conquisitas ad iustam narrationis formam edolare mallent [10]), is videat ne vehementer fallatur. Accedit quod longe verisimilius est Hellanici libros ab Herodoto usurpatos esse, quam Herodoti ab Hellanico; quandoquidem illum

---

quod ap. Antigon. Caryst. Hist. Mirab. c. 126, quae ex eodem haud dubie opere manarunt, auctor nominatur *Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιος*, et quod in fragmentis apud Athenaeum insunt vestigia dialecti Ionicae. [Cf. A. de Gutschmid in Philologo X (1855), p. 538 sqq.]

9) Aliter iudicavit Sturzius p. 13; 66, et Kruegerus in vita Thucydidis p. 27. Sed de fide huius libri neuter dubitavit.

10) Dionys. Hal. de Thucyd. iud. c. 5. *ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπόν, ὅσαι διεσώζοντο παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνῆμαι κατὰ ἔθνη τε καὶ κατὰ πόλεις, εἴτ᾽ ἐν ἱεροῖς εἴτ᾽ ἐν βεβήλοις ἀποκείμεναι γραφαί, ταύτας εἰς τὴν κοινὴν ἁπάντων γνῶσιν ἐξενεγκεῖν οἵας παρέλαβον, μήτε προστιθέντες αὐταῖς τι μήτε ἀφαιροῦντες.*

constat opus suum, certe ut nunc legitur, ad summam senectutem provectum elaborasse, Hellanicum contra, ut qui magnum brevium commentariorum numerum, non unum opus reliquerit, ubi quodque satis ipsi exploratum esset, id primo quoque tempore et separatim foras edidisse credibile est. Idem denique cadit in librum *ἐθνῶν ὀνομασίαι* vel *περὶ ἐθνῶν* inscriptum (nisi idem erat cum *νομίμοις βαρβαρικοῖς*), unde quod adhibetur apud Athen. XI, p. 462 B ex Herodoto IV, 190 sumtum esse vidit Valckenarius, eodemque revocanda videntur *Κυπριακά*, *Σκυθικά*, unde multa citantur apud Stephanum Byzantium,
7 quae spectant gentes Ponti, Thraciae, Scythiae, Lyciae, Ciliciae, Libyae, quas terras etiamsi in ceteris operibus passim respexerit, tamen dubito quin peculiariter illustraverit, nedum peregrinando cognitas habuerit. Ceterum constat diem supremum obiisse eum Perperenae [11]), oppido Aeolidis e regione Lesbi sito, teste Suida: ut varias terras permensus in patriam senex reversus esse ibique studiis suis ad mortem usque incubuisse videatur.

De fide eius deque meritis in historia varie iudicatur; quae testimonia examinabuntur infra. Nunc ingentem illam titulorum, quos Sturzius enumerat, varietatem ad maiores operum comprehensiones revocare conabimur [12]). Etenim etiamsi multa separatim ediderit diversaque diversis temporibus attigerit, tamen erat sine dubio quaedam rerum ab eo tractatarum series atque similitudo et ratio etiam, qua in rebus persequendis versabatur, constans quaedam atque aequabilis. Hoc significat Dionysius Halicarnassensis, ubi Thucydidem ait neque unius loci angustia quasi circumscribere atque defigere historiam voluisse [13]), quod

---

11) Quod Thucydidem ibidem obiisse nonnulli tradunt, confusio est, v. Krueger de vit. Thucyd. p. 57. sq.

12) „Nicht sehr wichtig und kaum zu Ende zu bringen scheint die Untersuchung, inwiefern die ungeheure Menge Titel von Schriften des Hellanicus verschiedenen Werken oder Theilen von grösseren angehört." Sic Dahlmannus. Aliter, confido, iudicabit qui disputationem hanc meam diligenter legerit.

13) De Thucyd. iudic. c. 6. *Θουκυδίδης οὔτ' ἐφ' ἑνὸς ἐβουλήθη τόπου καθιδρύσαι τὴν ἱστορίαν, ὡς οἱ περὶ τὸν Ἑλλάνικον ἐποίησαν, οὔτε τὰς ἐξ ἁπάσης χώρας Ἕλλησιν ἢ βαρβάροις ἐπιτελεσθείσας πράξεις εἰς μίαν ἱστορίαν συναγαγεῖν, μιμησάμενος Ἡρόδοτον κτλ.* Alio loco Herodotum eadem atque Hellanicum ratione usum esse dicit, c. 9: *οὔτε γὰρ τοῖς τόποις, ἐν οἷς αἱ πράξεις ἐπετελέσθησαν, ἀκολουθῶν ἐμέρισε τὰς διηγήσεις, ὡς Ἡρόδοτός τε καὶ Ἑλλάνικος καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων ἐποίησαν.* Omnino Herodotus primum Lydiaca narrat, deinde Persica, Aegyptiaca etc.; verum omnia apud eum tanquam unius corporis membra sunt, id quod secus erat apud Hellanicum.

Hellanicus facere consueverit, neque Herodoti exemplo Graecorum atque exterarum gentium res et facta ad unum orbem atque ambitum concinnare; unde intelligitur solitam Hellanici rationem fuisse eam quam dixeris chorographicam, ubi omnis narrationis unitas in regionis alicuius vel civitatis circuitu posita est, rerum vero quaelibet diversitas admittitur eiusdemque loci fabulae, antiquitates, monumenta et historia etiam quae peculiariter dicitur velut per saturam explicantur; quae ratio sicuti ante Herodotum dominabatur, ita apud inferiores usu receptissima erat, et nunc etiam multum adhibetur ab iis qui omnem alicuius loci antiquitatem una commentatione comprehendere volunt. Cogitabat Dionysius in illis haud dubie maxime de Atthide Hellanici; ceterum aliorum scriptorum fragmenta sunt, quae non semper una illa lege sese inclusisse Nostrum aperte doceant, sed genealogica etiam atque chronologica forma nonnunquam usum esse. Sic in Deucalionea, Phoronide, Atlantiade nihil aliud fecit nisi Deucalidarum, Phoronidarum, Atlantidum stirpes atque genera prosecutus est; quod indicant ipsae inscriptiones, ad epicorum carminum similitudinem positae, non ad Homericorum puta, sed ad inferiorum illorum, quae Hesiodo tribuebantur, Asio, Eumelo; etsi multa apud Hellanicum passim interposita erant, quae historicum magis redolebant, velut in Phoronide explicate disseruit de Pelasgis eorumque migrationibus terrarumque, quas in omnem orbem dissipati incolebant, urbibus; similiterque in rebus consimilibus versati esse videntur Acusilaus Argivus et Pherecydes Atheniensis. Denique chronologicam etiam quandam factorum narrationem posterioribus praeivit illo opere, quod de sacerdotibus Iunonis Argivae inscriptum erat, quo regulam quandam res diversas ad eandem temporis descriptionem revocandi facile primus periclitatus est, sacros in hoc, qui in templis maioribus a sacerdotibus condi solebant, commentarios secutus; de quo opere non alienum erit infra paulo enucleatius commentari. Sed vides ita ad tres potissimum classes nubem illam titulorum revocari posse atque disponi; quorum multi etiam, id quod certis argumentis demonstrabitur, nihil erant nisi partes maiorum operum. Dicam vero in sequentibus primum de operibus genealogicis, 9
deinde de chorographicis, denique de chronologicis.

I. OPERA GENEALOGICA.

Horum in fragmentis digerendis utilissimum erat, quod Apollodorus in bibliotheca his ipsis Hellanici operibus maxime

usus esse videtur, et in singulis, et in omni argumenti descriptione; quae res licet adhuc latuerit omnes, tamen satis probabiliter demonstrari potest. Orditur Apollodorus opus suum fabulis cosmogonicis atque theogonicis, ut solebat orbis quem dicebant fabularum ab ipsis mundi primordiis ad extrema facta Heraclidarum una continuatione perduci. Et dixit etiam Hellanicus de originibus rerum atque deorum, sed exstant nimium pauca. Deinde vero apud Apollodorum sequuntur fabulae Deucalidarum, *τὸ τοῦ Δευκαλίωνος γένος*, lib. I. cap. VII usque ad finem libri primi, cui sectioni optime respondet Deucalionea Hellanici, etiam in singulis, veluti in his:

Hellanicus in Epimerism. Hom. ap. Cramer. Anecd. Gr. Vol. I. p. 344. *Ἑλλάνικος δέ· καὶ Πελίαν ὠνόμαζεν αὐτόν*[14]*, ἐπεὶ ἐπελιώθη αὐτῷ ἡ ὄψις λακτισθέντι ὑπὸ τοῦ ἵππου.*

Apollodorus I, 9, 8. *ἐκκειμένων δὲ τῶν βρεφῶν, παριόντων ἱπποφορβῶν ἵππος μία προσαψαμένη τῇ χηλῇ θατέρου τῶν βρεφῶν πέλιόν τι τοῦ προσώπου μέρος ἐποίησεν. ὁ δὲ ἱπποφορβὸς ἀμφοτέρους τοὺς παῖδας ἀνελόμενος ἔθρεψε καὶ τὸν μὲν πελιωθέντα Πελίαν ἐκάλεσε, τὸν δὲ ἕτερον Νηλέα.*

Sequitur apud Apollodorum genus Inachi et Phoronei, ab initio libri II usque ad lib. III cap. X; quibus respondet Phoronis Hellanici. Deinceps quid complexa fuerit Atlantias Hellanici apertum fit ex comparatione Apollodori lib. III cap. X et XI. Denique apud Apollodorum Troica proponuntur, libro eodem cap. XII et XIII, eodemque ordine Hellanicum Troica sua edidisse verisimile est, quibus Asopidem subiungendam esse ex eodem Apollodoro infra manifestum erit; quem per hanc sectionem exscripsisse Nostrum documento esto comparatio horum locorum.

Hellanicus ap. Schol. Il. *μ*, 1: *Πάτροκλος ὁ Μενοιτίου τρεφόμενος ἐν Ὀποῦντι τῆς Λοκρίδος περιέπεσεν ἀκουσίῳ πταίσματι· παῖδα γὰρ ἡλικιώτην Ἀμφιδάμαντος οὐκ ἄσημον Κλισώνυμον* (var. l. *Κλησ.*) *ἢ ὥς τινες Αἴαν* (var. l. *Αἰάνην*) *περὶ ἀστραγάλων ὀργισθεὶς ἀπέκτεινεν· ἐπὶ τούτῳ δὲ φυγὼν εἰς Φθίαν ἀφίκετο, κἀκεῖ κατὰ συγγένειαν Πηλέως Ἀχιλλεῖ συνῆν. φιλίαν δ' ὑπερβάλλουσαν πρὸς*

---

14) Libb. *τὸν Πελίαν ὠνομάζετο.* In *ὠνόμαζεν αὐτόν* supple *ὁ ἱπποφορβός.*

ἀλλήλους διαφυλάξαντες ὁμοῦ ἐπὶ Ἴλιον ἐστράτευσαν. ἡ ἱστορία παρὰ Ἑλλανίκῳ.

Quibus ad singula verba succinit Apollodorus III, 13, 8 *Πάτροκλος ὁ Μενοιτίου ἐν Ὀποῦντι διενεχθεὶς ἐν παιδιᾷ περὶ ἀστραγάλων παίζων παῖδα Κλυσώνυμον τὸν Ἀμφιδάμαντος ἀπέκτεινε. καὶ φυγὼν μετὰ τοῦ πατρὸς παρὰ Πηλεῖ κατῴκει καὶ Ἀχιλλέως ἐρώμενος γίνεται*[15]).

Denique apud Apollodorum fabula Attica sequitur, ex primo libro Atthidis Hellanici fortasse expressa: ut mihi quidem persuasum sit, Hellanicum praecipuum Apollodori fontem fuisse eumque bibliothecae suae quasi stamina ex commentariis Nostri duxisse, quibus postea, quae ex aliis auctoribus attinerent, antiquióribus recentioribus, interseruerit; contra quam Heynio potissimum auctore doceri solet, bibliothecam Apollodori maxime ex Pherecyde fluxisse, quem prorsus alia via atque Apollodorum fabulas narrasse demonstravit Matthiae. Scio Pherecydem persaepe citari apud Apollodorum et saepius Hellanico; sed facit id ipsum ad meam sententiam. Tacite sequitur Hellanicum, ut quem ducem primarium sibi proposuisset; nominat Pherecydem ubi alter ab altero discrepabat, similiterque fecit in Acusilao ceterisque quorum testimonia passim adiecit scriptoribus.

Iam ut singula persequar duce Apollodoro, origines mundi 11
deorumque satus atque genera num Hellanicus peculiari scriptione exposuerit haud liquet. Retulerit aliquis ad tale argumentum quod laudatur apud Fulgentium Mythol. I, 2 p. 36 Muncker: „Theopompus in Cypriaco carmine et Hellanicus in Dios polytychia, quam descripsit, ait Iunonem ab Iove vinctam catenis aureis et degravatam incudibus ferreis", quae res ab Apollodoro I, 3, 5 in theogonicis narratur; titulus vero ille *Διὸς πολυτυχία* misere corruptus est[16]). Sed eodem fortasse opere continebantur

15) [Cf. Strabon. IX, 4, p. 288, Schol. Il. *π*, 14 et Meinekii analecta alexandrina p. 217 sq.]

16) Vossius Histor. Gr. p. 31 ed Westerm. coni. *πολυτοκία* vel *πολυτεχνία*. Sturzius dubitat num vulgatam teneat an emendet *πολυπτυχία* „ut multiplex ac tortuosum Iovis ingenium dicatur ab Hellanico descriptum fuisse", quod veretur Westermannus ut alicui probaverit. Magis etiam arcessitum quod excogitavit Creuzerus Symb. I. p. 36 ed. 3ae, legendum esse *πολυπτυχία*: *πτυχάς* vero esse Olympische Rollen von der Haut der Ziege Amalthea. — Was diese Rollen in ihren vielen Falten enthalten — das Gesetz der Natur und des Geistes, das ist *Διὸς πολυπτυχία* und wunderbaren oft räthselhaften Inhalts. Quae fateor ultra meum intellectum esse,

quae leguntur apud Damascium de principiis p. 381 Kopp.: ἡ δὲ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον φερομένη[17]) καὶ Ἑλλάνικον (sc. κοσμογονία), εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός[18]) ἐστιν, οὕτως ἔχει· ὕδωρ ἦν, φησίν, ἐξ ἀρχῆς καὶ ὕλη (Lobeck Aglaoph. p. 484 coni. ἰλύς), ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ κτλ., quem patet non ipsum Hellanicum tractasse sed nomen eius ex Hieronymo apposuisse.

Sequitur ut de iis scriptis dicam, de quibus certis inscriptionibus constat, i. e. de Deucalionea, Phoronide, Atlantiade, Troicis, quae dixeris vel uno eodemque corpore, vel certa consecutione edita fuisse, ut alter liber alterum exciperet eoque modo orbis quidam fabularis sive cyclus epicus componeretur, similiter atque factum est apud Apollodorum.

12 **a. Deucalionea.**

Citantur duo libri, sicut omnes de historia fabulosa commentarii bipartitam duorum librorum divisionem secuti esse videntur. Quae ex priore laudantur, spectant ortum generis humani et fata Deucalionis atque Deucalidarum. Deucalionis historia similiter atque apud Apollodorum narrabatur, v. Schol. Apollon. Rhod. III, 1085 et 1086 ὅτι δὲ Προμηθέως υἱὸς Δευκαλίων ἐβασίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος ἐν πρώτῳ τῆς Δευκαλιωνείας φησίν, καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμὸν [var. lect. fortasse melior βωμοὺς] ἱδρύσατο, coll. Apollod. I, 7, 2. Eodem traxeris quae narrantur apud Iosephum Archaeol. I, 4 Ἡσίοδός τε καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἀκουσίλαος — ἱστοροῦσι τοὺς ἀρχαίους ζήσαντας ἔτη χίλια, nam solebant haec et genera illa Hesiodea in rebus Promethei et Deucalionis expromi. Exinde narrabatur de diluvio primisque

credo etiam ultra Hellanici. [Cf. Bähr in annal. Heidelberg. 1841, p. 727, qui Hesiod. theog. 113 (πολύπτυχος ὄλυμπος) affert.]

17) [sc. θεολογία Ὀρφική, ut Hellanicus cosmogoniam tradiderit secundum praecepta theogoniae Orphicae, vid. Lobeck Agl. p. 484 sq. Et videtur ille omnino Orpheum pari honore habuisse atque Homerum et Hesiodum, quos ex eadem adeo stirpe repetendos esse existimabat; qua in re longe cautior est Herodotus, cujus tamen ex verbis πολυθρυλλήτοις istis II, 53 οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον ἐμοί γε δοκέειν, ἐγένοντο τούτων, Hellanicum probabile est secus statuisse cumque eo iudicasse Pherecydem, Damasten, alios, vid. Lobeck p. 322 sqq.]

18) Tiedemannus de prim. Graec. philos. p. 63 ἡ αὐτὴ corrigit. Censor eius in Bibl. Crit. II, 2 p. 88 vulgatum recte interpretatur: „Significat Hieronymum hanc rem ex Hellanico sumsisse atque adeo ambos non nisi unam habere auctoritatem"; quamquam cave quae sequuntur apud Damascium, noviciam Orphicorum sapientiam revoces ad Hellanicum.

civitatibus a Deucalione eiusque prosapia conditis, v. Schol. Pind. Ol. IX, 64 *ἔνιοι δὲ οὐκ ἐν τῇ Ὀποῦντί φασι Δευκαλίωνα καὶ Πύῤῥαν οἰκῆσαι· ὁ γὰρ Ἀπολλόδωρος*[19] *οὕτω γράφει· „οἰκῆσαι δὲ ἐν Κύνῳ τὸν Δευκαλίωνα λέγεται καὶ τὴν Πύῤῥαν, καὶ τὴν Πρωτογένειαν ἐκεῖ τετράφθαι φασίν.“ ἱστορεῖ δὲ ταῦτα καὶ Ἑλλάνικος. — ὁ δὲ Ἑλλ. καὶ τὴν λάρνακα οὐ τῷ Παρνασσῷ φησι προσενεχθῆναι, ἀλλὰ περὶ τὴν Ὄθρυν τῆς Θεσσαλίας*, quibuscum coniungas haec ap. Schol. Apollon. II, 705 *ὠνομάσθη Παρνασσὸς ἀπὸ Παρνησσοῦ τοῦ ἐγχωρίου ἥρωος, ὡς Ἑλλάνικος*, ubi scribendum 13
ἀπὸ Παρνησοῦ τοῦ ἐγχ., apertis Ionicae dialecti vestigiis, quae multis locis deprehenduntur[20]). Argumentum porro ducebat ad Thessaliam ab Deucalione eiusque filiis occupatam et divisam, quo facit Harpocr. v. *τετραρχία*, ubi citatur *Ἑλλ. ἐν τοῖς Θετταλικοῖς*, quam partem Deucalioneae fuisse recte putat Sturzius. Deinceps Aeolum atque Aeolidarum progeniem persecutus esse videtur, v. Athen. X, p. 416 A *Ἑλλ. ἐν πρώτῳ Δευκαλιωνείας*

---

19) Non in bibliotheca, nisi dicas bibliothecam nunc forma parum genuina haberi, quod statuit G. Hermannus Ep. ad Ilgen. Hymnis Hom. praemissa p. XLV. „Apollodorum quidem singulis paginis interpolatum esse constat. Atque omnino Apollodori libros codicibus Italicis ita scriptos inveniri accepimus, ut, si cum editionibus isti codices compararentur, scriptorem hunc vix sui similem habituri simus.“ Quamquam quae in Scholiis Homeri ex Apollodoro afferuntur, solent cum bibliotheca, ut nunc est, conspirare, cf. Schol. Il. *α*, 195 c. Apollod. I, 3, 6; Schol. Il. *α*, 168 et 307 c. Ap. I, 7, 2; Schol. Il. *β*, 494 c. Ap. III, 4 initio. De Apollodoro epitomato cogitavit Berkelius ad Steph. B. p. 50 b et Welckerus, quem vide de bibliotheca doctissime disputantem in Cycl. ep. p. 88. sqq.

20) Cf. Sturz. p. 23 sq. Quicunque tunc litteras attingebant, philosophi iuxta atque historici, Ionicam dialectum adhibebant, sive epicae propiorem, sive variae illi atque figuratae Herodoti, sive Atticae antiquiori. Sed qui ab Sturzio citantur loci, eorum pars referenda ad Hellanicum Grammaticum, Homericum, qui erat ex Chorizontibus, Aristarchi aequalem, de quo dixit Grauertus in Mus. Rhen. I, 3 p. 204 sqq., cuius locis adde quae nuper edita sunt in Schol. Eurip. Vat. Troadd. v. 822 *τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι, ὃν οἱ μὲν Θεστορίδην Φωκαιέα* (sic scrib. pro *Φωκέα*) *φασίν, οἱ δὲ Κιναίθωνα Λακεδαιμόνιον, ὡς Ἑλλάνικος, οἱ δὲ Διόδωρον Ἐρυθραῖον*, v. Welcker de cyclo ep. p. 251. Ad Hellanici dialectum quod attinet Lex. Bekkeri Anecd. Gr. I, p. 351 eum atque Sophronem *ἀθήραν* vocasse tradit quod Atticis *ἀθάρη* nominabatur, *ἀθάρα* Doricis, unde nihil certi concludi potest. Praeterea Schol. Venet. Aristoph. Pac. v. 70 in explicatione vocis *ἀνεῤῥιχᾶτο*, qua utitur Aristophanes: *Ἑλλάνικος· „ἀναῤῥιχῶνται δὲ ὥσπερ οἱ πίθηκοι ἐπ᾽ ἄκρα τὰ δένδρα,“* de quo vocabulo v. Phrynichum Bekkeri p. 19, 25 et Pierson. Moer. p. 64. Erat hoc ex rarioribus illis vocabulis, quorum etiam in fragmentis nonnulla reperiuntur. [Steph. Byz. v. *Ὑπερβόρεοι . . . Ἑλλάνικος δὲ Ὑπερβόρειοι γράφει διὰ διφθόγγου*, de quo loco cf. Meineke frgm. com. ant. p. 34.]

Ἐρυσίχθονα φησὶ τὸν Μυρμιδόνος, ὅτι ἦν ἄπληστος βορᾶς, Αἴθωνα κληθῆναι, eadem, puta, occasione, qua Myrmidonis meminit Apollodorus I, 7, 3. Eodemque contextu verisimile est dictum fuisse de variis oppidis, per Thessaliam, Magnesiam, Locridem, Phocidem dispersis, quorum ex Hellanico meminit Stephanus B., maximam partem addito ἐν πρώτῃ Δευκαλιωνείας, v. s. vv. Ἀγάθεια, Ἄλπωνος, Ἄσπενδος (Ἀσπένδου κτίσμα), Θηγώνιον, Καλλίαρος (ἀπὸ Καλλιάρου τοῦ Ὀδοιδόκου καὶ Λαονόμης), Λακέρεια, Μισγομεναί, Οἰάνθη, Φημίαι (ἀπὸ Φημίου τοῦ Ἄμπυκος), quae licet quibus singula occasionibus commemorata fuerint obscurum maneat, tamen universa monstrant praeter fabulas etiam chorographiam quandam earum regionum, quibus Aeoles potiti sunt,
14 in hoc opus intextam fuisse; unde suspicere etiam Strabonem X, p. 451 Deucalioneam respicere, vituperantem Hellanicum quod quae post reditum Heraclidarum condita sint oppida Aetoliae, eadem antiquissimis temporibus tribuerit. Nam commemoratione Aetoli ad Aetoliam fortasse simili modo, atque factum erat in Thessalia, percensendam delatus erat, cf. Apollod. I, 7, 5.

Alterum librum laudat Steph. B. v. Σάλμος, quo cum loco conferendus idem v. Ἄλμων et Ὄλμωνες, cum nota Berkelii. Olmus erat filius Sisyphi, ad quem ducebat historia Aeolidarum, v. Apollod. I, 9. Sequebatur fabula de Pelia atque Neleo, quam supra attigimus ex Crameri Anecd. Vol. I, p. 344 [21]), cui subiuncta fuerit historia Argonautarum, sicut apud Apollodorum. Eo spectant quae de Helles obitu ex Hellanico citantur ap. Schol. Apollon. II, 1144, de origine Iasonis apud eundem ad Ap. III, 335 ὁ Ἰάσων ἀπὸ Αἰόλου τὸ γένος κατάγει, ὡς Ἑλλάνικος, quae de Aphetis oppido in fatis Argonautarum celebri ap. Steph. B. v. Ἀφεταί, de vellere aureo in templo Iovis reposito ap. Schol. Ap. II, 404, de Iasone Corinthiorum inquilino ap. Schol. Eurip. Med. 9. Restat Steph. B. Μιδάειον, πόλις Φρυγίας· Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ Δευκαλιωνείας, quae urbs fortasse in navigatione Argonautarum commemorata erat; eademque occasio fuerit commemorationis Dactylorum Idaeorum, de quibus Hellanicus laudatur ap. Schol. Ap. I, 1129; Eudocia p. 103.

---

21) Eandem ex eodem, ut videtur, fonte narrat Schol. Il. κ, 334. Cf. Schneidewin Coniectan. Crit. p. 99, qui in loco Hellanici scribit καὶ τὸν Πελίαν ὠνόμαζον.

b. Phoronis.

Apollodorus genus Inachi et Phoronei ita tractat, ut quae Boeotiam spectant fabulas uno tenore proponat, Agenoris atque Beli rebus separatim tractatis. In quo ab Hellanico discrepasse 15
videtur, quantum ex fragmentis iudicari licet, ut qui temporum seriem maxime secutus in priore Phoronidis libro egerit de Phoronidarum atque Pelasgorum fatis apud Argos, in Thessalia aliisque regionibus, itemque de originibus earum urbium, quae a Pelasgis repetebantur, maxime de Thebis Cadmeis; posteriore vero libro enarraverit fabulas de Hercule.

Unde exorsus sit librum priorem patet ex Schol. Il. γ, 75 *Ἴασος καὶ Πελασγὸς Τριόπα παῖδες τελευτήσαντος αὐτοῖς τοῦ πατρὸς διείλοντο τὴν βασιλείαν κτλ.*, ubi citatur quidem *Ἑλλ. ἐν Ἀργολικοῖς*, sed verum contextum indicat Eustath. ad eundem locum p. 385 *φησὶ δὲ Ἑλλ. παῖδας τρεῖς Φορωνέως γενέσθαι κτλ.* Partitur Peloponnesus superior inter filios Phoronei [22]), Pelasgum, Iasum, Agenorem. Pelasgo obtingit Arcadia; quo referendum caput *περὶ Ἀρκαδίας*, cuius meminit Schol. Apollon. I, 162, eodemque retulerim quae habentur apud eundem ad Ap. I, 769. Sequitur excerptum maius, maximi illud ad antiquissimam Graeciae memoriam momenti, de Pelasgorum in Thessaliam profectione, unde rursus expulsi per Deucalionem in Italiam transferuntur, ubi Tyrrhenia primum ab iis incolitur, v. Dionys. Hal. Arch. Rom. I, 28 *Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυῤῥηνούς φησι Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι προσηγορίαν. ἔχει δὲ αὐτῷ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε· „τοῦ Πελασγοῦ τοῦ βασιλέως αὐτῶν καὶ Μενίππης τῆς Πηνειοῦ ἐγένετο Φράστωρ, τοῦ δὲ Ἀμύντωρ, τοῦ δὲ Τευταμίδης, τοῦ δὲ Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν.“* Ubi vides Hella- 16
nicum opponere Hellenes h. e. genus Deucalionis et Pelasgos h. e. genus Phoronei [23]); nam Deucalion cum Hellenibus suis Pelasgos ex Thessalia eiecit, quod narratur apud Dionys. A. R. I, 17,

22) De hoc similiter iudicasse videtur atque scribit Pausanias II, 15, 5 *λέγεται δὲ καὶ ὅδε λόγος· Φορωνέα ἐν τῇ γῇ ταύτῃ (τῇ Ἀργολίδι) γενέσθαι πρῶτον, Ἴναχον δὲ οὐκ ἄνδρα, ἀλλὰ τὸν ποταμὸν πατέρα εἶναι Φορωνεῖ κτλ.*

23) De re consentit Herodotus I, 56 sq, sed omittuntur fabulae.

quae maximam partem ex eodem Hellanico fluxisse videntur: *πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν* (Pelasgi) *αὐτόχθονες ὄντες*[24]), *τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς καὶ τῆς Νιόβης τῆς Φορωνέως, ᾗ πρώτῃ γυναικὶ θνητῇ μίσγεται ὁ Ζεὺς κτλ.* Deinde narratur de Pelasgorum sedibus in Thessalia deque dispersione eorum, qua alii in Cretam delati sint, alii in Cycladas insulas, alii Hestiaeotin propter Olympum et Ossam tenuerint, alii in Boeotiam, Phocidem, Euboeam transmigraverint, alii denique in Asiae oram, quae Hellesponto propinqua est, vicinasque insulas et Lesbum primam cum Aeolibus mixti coloniam duxerint; quibus narratis sic pergitur: *τὸ δὲ πλεῖον αὐτοῖς μέρος διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς κτλ.*, quibuscum arctissime cohaerent quae modo laudata sunt de profectione in Italiam. Sed ita in universum adumbratis originibus earum regionum, quae a Pelasgis antiquitus incolebantur, singularum fabulam secutam esse suspicor, maxime Thebarum, quo pertinet fabula Cadmi, v. Schol. Apoll. III, 1178 *περὶ τῆς Κάδμου εἰς Θήβας παρουσίας — Ἑλλ. ἐν α΄ Φορωνίδος κτλ.*, quo ducebatur stirpe Agenoris, qui erat Phoronei nepos. Adde Schol. Il. *β*, 494, ubi exhibetnr *ἡ κτίσις* Thebarum, addito *ἱστορεῖ Ἑλλ. ἐν Βοιωτιακοῖς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ γ΄* (III, 4, 2), ubi *Βοιωτιακὰ* dici puta partem Phoronidis. Denique eodem retuleris Schol. Vat. Eurip. Rhes. 28 *ὁ δὲ Ἡσίοδος Εὐρώπης μέν φησιν αὐτὸν* (*τὸν Σαρπηδόνα*), *ὡς Ἑλλάνικος*, quamquam malim cogitare de Hellanico Chorizonte.

17 Librum alterum citat Athen. IX p. 410 F[25]) de Archia ab Hercule necato, ut pateat de rebus ab Hercule gestis in hoc libro actum esse. Eodem spectant quae servavit Schol. Plat. Phaed. p. 69, 14 Bekk. de hydra Lernaea, Schol. Ap. II, 1054 de Stymphalidibus, Schol. Pind. Nem. III, 64 de expeditione adversus Amazonas, Dionys. A. R. I, 35 de bobus Geryonis deque Italia ab Hercule in persecutione vituli cuiusdam, qui de grege aberraverat, appellata, cf. Apollod. II, 5, 10. Denique adde Schol. Pind. Ol. III, 22 de Hellanodicarum numero primo, quod spectat institutionem certaminis Olympici, et Schol. Ap. I, 131 de expe-

---

24) Harpocr. v. *αὐτόχθονες οἱ Ἀθηναῖοι. — αὐτόχθονες δὲ καὶ Ἀρκάδες ἦσαν, ὡς Ἑλλάνικός φησι, καὶ Αἰγινῆται καὶ Θηβαῖοι.*

25) Ubi pro *Ἑλλ. ἐν ταῖς ἱστορίαις* scribendum videtur *ἐν ταῖς ἱερείαις*. Historias non scripsit Hellanicus, v. Sturz p. 28.

ditione adversus Dryopes. Superest locus per se memorabilis, si contextum quaeras quo in Phoronide lectus fuerit obscurus, ap. Procl. ad Hesiod. p. 141b Ἑλλ. ἐν Φορωνίδι ἀπὸ Ὀρφέως φησὶν εἶναι τὸν Ἡσίοδον, quo facit quod idem auctor vit. Hom. p. 466 Gaisf. Hellanicum testatur cum Damaste atque Pherecyde genus Homeri ad Orpheum retulisse[26]). Rem excussit Lobeck in Aglaophamo p. 322sqq. [cf. Welcker Cycl. ep. I, p. 147 sqq.]

c. Atlantias.

De nomine dubitatur, v. Valckenaer ad Schol. Eurip. Phoeniss. p. 31[27]). De argumento apertum est ex comparatione Apollodori I, 9, 5 περὶ τῶν Περιήρου ἐκγόνων ἐν τῷ Ἀτλαντικῷ γένει δηλώσομεν. Ex libro priore citatur locus de filiabus Atlantis ap. Schol. Il. σ, 486, cui respondet Apollodorus III, 18
10, 1. Idem nominato Mercurio, Maiae Atlantidis filio, fabulam Mercurii illustrat ex hymno Homeri; quod si ab Hellanico quoque similiter factum statuas, idoneum locum nactus eris, ubi de Homeridarum gente disputari potuerit, v. Harpocr. v. Ὁμηρίδαι· — Ἑλλ. ἐν τῇ Ἀτλαντιάδι ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ φησὶν ὠνομάσθαι (τοὺς Ὁμηρίδας). [cf. Welcker l. l. p. 148.] Apud Apollodorum deinceps memoratur de Leda, Tyndareo, Helena, quo spectant quae ex Hellanico excerpta leguntur apud Sch. Ap. I, 146 de Leda, Sch. Il. γ, 144 de Helena et Theseo, quae ut hoc contextu narrata fuisse statuam, non in Atticis, facit comparatio Apollodori III, 10, 7. — Secundo libro vindicaverim fragmentum apud Sch. Eurip. Phoeniss. l. c., ubi sermo est de liberis Niobae, quae erat ex stirpe Alcyonae Atlantidis. Inde videtur ad alteram fabularum Thebanarum partem sic delatus esse, ut post Amphionis res, qui unus supererat ex filiis Niobae, ad regnum Laii transgrederetur et lugubria deinceps ista Oedipodis atque Oedipodarum fata explicaret; quo faciunt quae exstant de Oedipode eiusque filiis ap. Sch. Eurip. Phoen. 71 et de Adrasto deque

---

26) Quae in fr. 146 allegantur a Sturzio, ex eodem Proculo in eadem vita Homeri, Hellanicum cum Xenone Odysseam abiudicasse Homero, in his patet citari Chorizontem.

27) Harpocr. v. Ὁμηρίδαι habet Ἑλλ. ἐν τῇ Ἀτλαντιάδι, Schol. Il. σ, 486 ἐν τῷ α′ τῶν Ἀτλαντιδῶν, al. codd. Ἀτλαντικῶν, quod edidit Bekkerus, Schol. Eurip. Phoeniss. 162 ἐν τῇ ἐπιγραφῇ Ἀτλαντίδος. Ego nomen Atlantias praetuli, quia Atlantis, quod posuit Sturzius, est Atlantis filia, Atlantias vero carmen vel liber de genere Atlantis. [Sed cf. Prelleri Mythol. gr. I, p. 365, not. 4, ed. alter. K.]

priore atque secunda expeditione adversus Thebas ap. Sch. Pind. Pyth. VIII, 68. Ex filiabus Niobae uni Chloridae pepercerant sagittae Letoidarum, quae ex Neleo peperit Nestorem. Sic praeparabatur narratio Troicorum, quibus etiam fabulis de Pelope eiusque filiis praelusum fuisse dixeris, v. quae exstant ap. Sch. Il. β, 105 de Hippodamea a Pelope ducta deque Chrysippi per Atreum atque Thyestem necibus Pelopisque in filios exsecrationibus, quae fabula est ex tetris illis atque tragoediam spirantibus, quas cum studio quodam animorum commovendorum a priscis historicis ex monumentis locorum excitatas esse memorat Dionysius Halicarnassensis [28]).

19 d. Troica.

A Dardano omnis Troianorum antiquitas repetebatur, ut in ingressione operis recte ponas quae ex priore Troicorum libro laudantur ap. Schol. Ap. I, 916, unde simul arctissimam inter Atlantiadem atque Troica connexionem fuisse [29]) apparet: ἐκεῖ (in insula Samothrace) ᾤκει Ἠλέκτρα ἡ Ἄτλαντος· — ἥν φησιν Ἑλλ. Ἠλεκτρυώνην καλεῖσθαι. ἐγέννησε δὲ τρεῖς παῖδας, Δάρδανον κτλ., cf. Apollod. III, 12, 1. Sequantur haec apud Steph. B. v. Βατίεια, τόπος τῆς Τροίας ὑψηλός· κέκληται ἀπὸ Βατείας τινός, ὡς Ἑλλ. ἐν α΄ Τρωϊκῶν, quae Batiea erat filia Teucri, uxor Dardani, et eadem in narratione nominatur ab Apollodoro. Alii uxorem Dardani appellabant Arisbam, filiam Cretis, v. Steph. B. v. Ἀρίσβη, Schol. Il. υ, 236, Etym. M. v. Βάτεια, ubi repetitur testimonium Hellanici. Subiungas Sch. Il. υ, 145 de Neptuno atque Apolline Laomedonti famulantibus, Hesionae nuptiis a Laomedonte propositis, Herculis adversus eundem expeditione, cuius narrationis pars copiosius secundum Hellanicum tractatur ap. Tzetz. ad Lycophr. 469. Adde Sch. Il. γ, 250 de Strymo, Priami matre, Sch. Il., γ, 151 de Tithono, Priami fratre, ab Hemera amato, Memnonis patre, Arrian. Dissertatt. Epict. II, 19 de Priami filiis, Sch. Il. ε, 64 de Alexandri atque Menelai apud Delphos conventu deque oraculo, quod Troianis ab Apolline edebatur, abstinendum esse a mari.

---

28) De Thucyd. iud. c. 5. ἐν αἷς (ταῖς παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνήμαις) καὶ μῦθοί τινες ἐνῆσαν ὑπὸ τοῦ πολλοῦ πεπιστευμένοι χρόνου καὶ θεατρικαί τινες περιπέτειαι, πολὺ τὸ ἠλίθιον ἔχειν τοῖς νῦν δοκοῦσαι.

29) Idem opus fuisse statuit Sturzius p. 64, sed citatur et Atlantias et Troicorum expositio libris duobus; denique nimium in Troicis materiae erat, quam quod appendicis loco in Atlantiade tractari potuisset.

Apollodorus his narratis transgreditur ad genus Aeaci atque Pelei, quam sectionem praefatur sic: *ὁ δὲ Ἀσωπὸς ποταμὸς Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος κτλ.*, unde colligas quid sibi velit ἡ Ἀσωπὶς Hellanici, quam laudat Marcellinus in vita Thucyd. § 4 p. 313 Poppo *μαρτυρεῖ τούτοις καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀσωπίδι*. Erat pars Troicorum, qua Aeaci prosa- 20
pia recensebatur, adiunctis fabulis de Peleo, Thetide, Achille, Patroclo. Quo spectant quae leguntur ap. Steph. B. v. *Θεστίδειον*, ap. Schol. Il. *μ*, 1 de Patrocli fuga ad Peleum (v. supra p. 10), ap. Sch. Il. *ο*, 336 de matre Aiacis. Restat locus apud Harpocr. v. *Κριθωτή· — μία πόλις τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ, καθά φησιν Ἑλλάνικος ἐν α΄ Τρωϊκῶν*, quae ex parte repetuntur a Marcellino l. c. *Μιλτιάδης, ὃς ᾤκισε Χεῤῥόνησον· μαρτυρεῖ τούτοις καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀσωπίδι*, coll. Suida v. *Κριθωτή, πόλις τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ, κατοικισθεῖσα ὑπὸ Ἀθηναίων τῶν μετὰ Μιλτιάδου ἐκεῖ παραγενομένων.*

Alterum Troicorum librum laudat Sch. Il. *φ*, 242 de historia Achillis, quae cum habeant aperta vestigia primae manus et dialecti Ionicae, Ionismis ubique restitutis apponam: *Ἑλλ. ἐν δευτέρῳ Τρωϊκῶν, ὑπὸ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον ἐν τῇ Ἴδῃ, φησίν, ὁ θεὸς ὗε*[30]*, καὶ ὁ Σκάμανδρος τὸ ῥέεθρον ὑπερβαλὼν ὑπὸ τοῦ ὀμβρίου ὕδατος τὸ ἔχον κοῖλα χωρία ἐπῆλθεν. τῷ ῥόϊ τούτῳ ὁ Ἀχιλλεὺς ἡγεόμενος τοῦ στρατοῦ πρῶτος ἐνέτυχε, καὶ δείσας τὸν ῥόον μή τί μιν πημήνῃ, ἐν πεδίῳ πτελέης πεφυκυίας λαβόμενος ἐμετεώρισεν ἑωυτόν. οἱ δὲ ἄλλοι προϊδόμενοι τὸν ῥόον ἐτράποντο ὅπου ἐδύναντο ἕκαστος, ἄλλος ἄλλῃ, καὶ ἐπὶ τὰ τῶν οὐρέων ὑπερέχοντα τοῦ πεδίου ἀνέβαινε*: unde vides explicatissimam singulorum enarrationem fuisse, accurata agri Troiani cognitione munitam, ut in quo vir in Lesbo natus, in Aeolide mortuus optime procul dubio versatus esset.

Post Antehomerica atque Homerica subiunxit Posthomerica, quo faciunt quae leguntur ap. Sch. Theocr. XVI, 49 de Cycno ab Achille necato, quae res erat Cypriorum; ap. Parthen. Erotic. 34 de Corytho Paride pulchriore, Helenae amatore; ap. Tzetz. Posthom. vs. 13 sqq. de Penthesilea; ap. Eustath. ad Il. *κ* p. 816, 12 de 21
Apolline Dymbraeo[31], in cuius fano sagitta Paridis cecidit Achil-

---

30) Sic scripsi coni. pro ὅθεν· θεὸς solet cum compendio scribi θ̃.

31) Sic scripserat Hellanicus, qui de hoc nomine laudatur etiam in Anecd. Bachmanni Vol. I, p. 467, 21.

les: quae cadunt in argumentum Aethiopidis [32]). Sequitur quae in Iliu Persidem incidit narratio de fuga Aeneae, cuius summam servavit Dionys. Hal. A. R. I, c. 46, 47 p. 114—120 ed. Reiske, optimam eius traditionis fidem esse dicens, *ᾧ κέχρηται τῶν παλαιῶν συγγραφέων Ἑλλάνικος ἐν τοῖς Τρωϊκοῖς*. Inferiore urbe ab Achaeis capta Aeneas cum Dardanis et parte Troianorum occupat arcem; propelluntur hostes. Instante periculo primum emittitur aetas imbellis; deinde fugit ipse Aeneas cum lectissima manu militum. Evaditur in munitissima loca Idae, eodemque congregantur quidquid per eas regiones supererat pristinorum incolarum. Urgentur ab Achaeis; fit pactio, ut Aeneas cum sociis castella montis Idae opesque in fuga servatas traderet Achaeis, Achaei vero illis tuto discedendi copiam facerent. Mittitur Ascanius in Phrygiam, unde postea redux cum Hectoridis superstitibus Troiam recuperat. Aeneas cum reliquis liberis et patre et deorum simulacris Hellespontum traiecit et in Pallenam inde peninsulam navigavit, cui vicina erat gens Crusaea [33]), quae fidelissimam omnium sociorum operam in bello gerendo navaverat. Sic Hellanicus rem narravit; quo referenda criminatio Strabonis XIII, p. 602 *Ἑλλ. δὲ χαριζόμενος τοῖς Ἰλιεῦσιν,*
22 *οἷος ὁ ἐκείνου μῦθος* [34]), *συνηγορεῖ τῷ τὴν αὐτὴν εἶναι πόλιν τὴν νῦν τῇ τότε*, quae repetuntur ab Eustathio ad Il. p. 460; quibus nimium tribuit Sturzius p. 18, gravissimum hoc et plane non ferendum in historico crimen esse existimans, partium studium. Etenim memorat Hellanicus Ascanium, postquam aliquamdiu apud Phryges exsul fuisset, Troiam rediisse paternumque regnum Hectoridis vindicavisse [35]), neque in anteceden-

---

32) Quae de Telepho leguntur fr. 101 Sturz, ex Steph. B. v. *Ὠρωπός· — καὶ Θεόπομπος καὶ Ἑλλάνικος ἀνακοινοῦνται τῶν Ὠρωπίων Τηλέφῳ κτλ.*, in iis ex cod. Vratisl. scrib. *καὶ Θεοπ. η´ Ἑλληνικῶν*, et sic edidit Westermannus.

33) Apud Herod. VII, 123 memoratur regio Crossaea, quae *Κρουσὶς γῆ* appellatur apud Thucyd. II, 79 et Steph. B. s. v. [Idem nomen *Κρουσιὰς γῆ* restituendum Cononi apud Photium cod. 186, p. 140 ed. Bekker. Cf. Tafel de Thessalonica eiusque agro p. 10 et 218.]

34) Invidiam Hellanici vehementer auxit Grosskurd in versione: „Hingegen der den Iliern schmeichelnde Hellanikos, wie seine Denkart ist, begünstigt die Behauptung, dass die jetzige Stadt mit der damaligen dieselbe sei.“ Secutus est emendationem Xylandri, qui scripsit *θυμὸς* pro *μῦθος*, qua non opus erat. Videtur Hellanicus in omni Troicorum expositione favisse Troianis contra Graecos; sic interpretor illud *οἷος ὁ ἐκείνου μῦθος*. At nihil istud criminosi.

35) *ἐλθόντων δὲ ὡς αὐτὸν Σκαμανδρίου τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑκτορι-*

tibus dirutam esse Troiam prodidit neque diris exsecratam ab Agamemnone, sed nihil nisi expugnatam. Accepit illam famam fortasse ab Iliensibus novis[36]), quos qui Homerum curiosius interpretabantur, ambitiose illud finxisse contendebant, v. Strab. *οἱ δὲ νῦν Ἰλιεῖς φιλοδοξοῦντες καὶ θέλοντες εἶναι ταύτην τὴν παλαιὰν παρεσχήκασι λόγον τοῖς ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως τεκμαιρομένοις· οὐ γὰρ ἔοικεν αὕτη εἶναι ἡ καθ' Ὅμηρον.* Vides *ἀπορίαν* fuisse, in qua patefacienda quod Hellanicum, quem suum scilicet testem producebant Ilienses, sic scripsisse contendit *χαριζόμενον τοῖς Ἰλιεῦσι*, id ipsum scripsit contentiose. Non video equidem quid illis temporibus, ante Alexandrum Magnum[37]), ab Iliensibus sibi conciliare quispiam potuerit, nisi gratiarum actionem humilem atque submissam[38]). — Ceterum Troica idem Strabo respexerit etiam X, p. 456 *οὐδ' Ἑλλάνικος Ὁμηρικός, Δουλίχιον τὴν Κεφαλληνίαν λέγων.*

II. OPERA CHOROGRAPHICA.

a. Atthis.

Citantur libri quatuor, quorum primus comprehendebat tempora fabulosa, secundus in pagorum maxime Atticorum anti- 23
quitatibus versabatur. De tertii et quarti argumento parum liquet; sed constat Atthidem Hellanici etiam de coloniis in Ioniam missis deque bellis Persicis et quae secuta erant usque ad suam aetatem commemorasse. Ceterum quod apud Clem. Alex. Strom. VI, p. 752 Potter. a Melesagora, antiquissimo rerum Atticarum auctore, nonnulla furatus esse dicitur, id quam vim habeat apparet ex eo, quod cohors scriptorum nobilissimorum eiusdem una cum Hellanico criminis accusantur. Sine dubio si quis ante ipsum de rebus Atticis editus erat commentarius, eum consultavit; maximam vero notationum partem credibile est ab ipso collectam esse idque monumentorum potissimum cognitione diligenti.

In exordio operis de autochthonia Atheniensium fortasse disputavit, v. Harpocr. v. *αὐτόχθονες*, et de Ogyge, quamquam

---

δῶν ἀφειμένων ἐκ τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ Νεοπτολέμου, κατάγων αὐτοὺς ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν εἰς Τροίαν ἀφικνεῖται.

36) Falsam interpretationem Homeri subesse arbitratur Lehrsius in studiis Aristarchi p. 244 sq., ubi v. de similibus commissis Eudoxi, Ephori, aliorum.

37) [Vide quos citat Klausen Aeneas I, 65.]

38) [Cf. Boeckh. Corp. Inscr. II, p. 878. Welcker kleine Schriften II, p. VIII sq. et XXXIV.]

quod de diluvio Ogygio deque Mosis ex Aegypto profectione Hellanicus testis producitur a Patribus, id nullius fidei esse demonstravit Boeckhius de Philochoro p. 8. Addito libri numero citatur notatio de origine iudicii Areopagi, ap. Etym. M., Suidam, alios s. v. *Ἄρειος π.*, deque notissima illa lite inter Martem et Vulcanum acta [39]), quam solent ponere in regno Cecropis. Sequitur Harpocr. v. *Παναθήναια*, citato libro primo, de Panathenaeis ab Erichthonio conditis, et v. *Φορβάντειον* de Phorbante, filio Neptuni, quem in bello Eleusinio occidit Erechtheus. Porro ad tempora Aegei faciunt quae servavit Plut. Thes. c. 17 de Minotauro, et ad regnum Thesei quae idem ib. c. 25 de Isthmiis a Theseo conditis et c. 26 de Antiopa, ad tempora Demophontis quae exstant ap. Sch. Eurip. Hec. v. 125 de Aethra Athenas reducta et ap. Sch. Eur. Or. v. 1643, ubi fabulosa Areopagi historia uno conspectu proponitur, temporum simul indicatione quadam adiecta, loco corrupto, qui ita legendus videtur: *περὶ τῆς Ὀρέστου κρίσεως ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἱστορεῖ καὶ Ἑλλ.*
24 *ταῦτα γράφων· τοῖς ἐκ Λακεδαίμονος ἐλθοῦσι καὶ τῷ Ὀρέστῃ οἱ Ἀθηναῖοι ἔφασαν τέλος, ἀμφοτέρων ἐπαινούντων* [40]). *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τὴν δίκην ἔστασαν ἐννέα γενεαῖς ὕστερον * Ἄρης καὶ Ποσειδῶν περὶ Ἁλιῤῥοθίου δίκην. εἶτα Κέφαλος ὁ Δηϊονέως, ὥστε Πρόκριν τὴν Ἐρεχθέως ἔχων γυναῖκα καὶ ἀποκτείνας, ἐξ Ἀρείου πάγου δίκην ὡς δικασθεὶς ἔφυγε, τρισὶ γενεαῖς ὕστερον. μετὰ δὲ τὴν Δαιδάλου δίκην ἀδελφιδοῦν τὸν Τάλων ἀποκτείναντος δολόεντι θανάτῳ καὶ φυγόντος δίκην, τρισὶ γενεαῖς ὕστερον αὐτὴ ἡ Τυνδαρὶς Κλυταιμνήστρα Ἀγαμέμνονα ἀποκτείνασα καὶ ὑπὸ Ὀρέστου ἀποκταθεῖσα συγκροτηθῆναι δίκην τῷ Ὀρέστῃ ὑπὸ Εὐμενίδων παρεσκεύασεν, ὃς μετὰ τὴν κρίσιν ἐπανελθὼν Ἄργους ἐβασίλευσε. καὶ ἐδίκασαν*

---

39) Quod dicit Areopagum appellatum esse *ὅτι ἔπηξε τὸ δόρυ ἐκεῖ ὁ Ἄρης*, inde colligas hastam in Areopago fixam fuisse ut insigne *τῶν φονικῶν*.

40) Vulg. *οἱ Ἀθ. ἔφασαν· τέλος δὲ ἀμφ. ἐπ. οἱ Ἀθην. κτλ. ἔφασαν τέλος*, si sanum est, erit: litem diiudicabant. In *ἀμφοτέροις* videtur cogitandum de iis qui cum Oreste venerant et qui cum Erigona, cuius in eadem narratione meminit Marm. Par. ep. 25, quamquam cavendum ne ipsam Erigonam collaudasse iudices opinemur, v. lex. in v. *αἰώρα*. Postea lacunam significavi ante *Ἄρης*, deinde *ὥστε* dedi pro *ὅστις*. Illud *δίκην ὡς δικασθείς* quid sibi velit ostendit Apollod. III, 15, 1 *κριθεὶς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φυγὴν ἀΐδιον καταδικάζεται*. Tum dedi *αὐτὴ ἡ T.* pro *αὕτη* et *ἀποκταθεῖσα* pro *ἀποκτανθ*. Ceterum nota *ἔστασαν* pro *ἔστησαν*, *δολόεντι θανάτῳ*, *συγκροτηθῆναι δίκην*.

δὲ Ἀθηνᾶ καὶ Ἄρης: in quibus quod tempora secundum genera definit, obscurum est qua id ratione fecerit. Unum genus solet amplecti 33⅓ annos[41]), ut ternis generibus, senis generibus exprimatur numerus rotundus unius seculi, binorum seculorum etc. Sed hanc ad rationem si locum interpretari velis, nihil expedies, ut aut numeros corruptos aut genera aliter dicta esse statuendum sit. Et dicuntur nonnunquam eodem significatu quo regna singulorum regum[42]), similiterque Hellanicus ea certe illo loco adhibuisse videtur; saltem sic exputari quodam modo potest ratio proposita. Nam origines Areopagi vulgo ponunt sub Cecrope[43]), iudicium autem de Cephalo sub Erechtheo habitum narrant, v. Apollod. III, 14, 2; 15, 1. A Cecrope ad Erechtheum sunt regna sex, quod dicit Hellanicus, *εἶτα Κέφαλος — ἓξ γενεαῖς ὕστερον*. Porro tribus generibus (*τρισὶ γ. ὕστ.*) ad sex adiectis habes novem genera, quae ab institutione Areopagi ad iudicium Orestis praeterlapsa esse statuit; verum tria illa genera quo pacto numeraverit admodum dubium est. Regnaverunt post Erechtheum Pandion, Aegeus, Theseus, Menestheus, Demophon. Daedali facinus incidit in regnum Aegei, v. Apollod. III, 15, 8, Orestem consentiunt causam dixisse initio regni Demophontis, v. Boeckh. C. I. II, p. 324. Iam si tria genera numeras ab Aegeo ad primos annos Demophontis, non congruit numerus novem annorum; sin ab Pandione ad Demophontem, videtur illorum regulorum unum praetermisisse. — Ceterum ad eandem de Oreste narrationem pertinere videtur mentio Hellanici ap. Paus. II, 16, 7 de Pyladis atque Electrae filiis.

Quae ex altero libro adhibentur omnia respiciunt pagos Atticos. Sic ap. Harpocr. v. *Ἀλόπη* de Hippothoonte, idem v. *ἱεροφάντης· — περὶ δὲ τοῦ γένους τῶν ἱεροφαντῶν δεδήλωκεν Ἑλλ. ἐν β' Ἀτθίδος*, Diodor. ap. Ulpian. ad Demosth. de cor. p. 73 C ed. H. Wolf[44]), coll. Harpocr. Etym. M. v.

---

41) Cf. Herod. II, 142; Eustath. Il. p. 97; Goeller in frgm. Tim. p. 197; Burmeister Zeitschr. f. A. a. 1836 Nr. 131; [Voemel de incolis Thessaliae antiquissimis p. 7, not. 5].

42) Euseb. Chron. p. 26 Scal. *ἐν γενεαῖς μὲν ἤτοι βασιλεῦσιν κς̄*, p. 27 *ἐν γενεαῖς ιδ̄ ἤτοι βασιλεῦσιν*. Cf. Wesseling ad Herod. II, 142; Schubart Quaestt. Geneal. praef. p. XX.

43) Marm. Par. ep. 3 originem Areopagi ponit in regno Cranai.

44) *Διόδωρος παραφέρων τὰ Ἑλλανίκου*, ubi de Diodoro Periegeta cogitandum, non de Siculo, in cuius fragmentis hic locus vulgo recensetur. De re v. O. Mueller Orchom. p. 391.

Μουνυχία, de Munychia a Munycho Minyarum rege appellata. Adde fragm. ap. Sch. Arist. Av. v. 872 de Colaeno rege, sacrorum Dianae Colaenidis conditore, quae spectant antiquitates Myrrhinusiorum, et quae leguntur ap. Harpocr. v. *Στεφανηφόρος*[45]), de sacello Coroniferi Attici.

26 Reliquis libris danda quae spectant Nelidas, Nelidarum colonias, Persica, tempora posteriora. Sic quae ap. Sch. et Eustath. ad. Od. *γ*, 4 laudantur de Neleo, Pyli Messeniaci conditore, et quae ap. Sch. Plat. Conviv. p. 439, 14 de Codri genere et factis: quae narratio exit in mentione coloniarum Ionicarum, a Codri filio ductarum. Quo subnectas quae exstant ap. Harpocr. v. *Ἐρυθραῖοι· Ἐρυθρά, μία τῶν ὑπὸ Νηλέως τοῦ Κόδρου κτισθεισῶν, ὥς φ. Ἑλλ. ἐν Ἀτθίσιν*, et ap. Hesych. v. *Κάδμιοι, οἱ Πριηνεῖς, ὡς Ἑλλάνικος*, quod de parte aliqua Prienensium accipiendum videtur, gente vel phratria, a Cadmeis oriunda[46]). Quam stirpem ne putes ex Phoenicibus in civitates Ionicas immigrasse, facit Herod. I, 146, Minyas Orchomenios (illos puta, quos Hellanicus narraverat Munychiam primum habitasse) et Cadmeos et Dryopes coloniis Nelidarum interfuisse narrans, quos Cadmeos ex Gephyraeis fuisse suspicor, qui relicta Boeotia in Atticam olim se transtulerant[47]). Quos sicut probabile est non apud solos Prienenses habitasse, sed in ceteris quoque civitatibus Ionicis, ita Cadmum historicum et Thaletem philosophum, qui ad Cadmum Thebanum genus suum referebat, utrumque Milesium, noli putare aliunde oriundos fuisse. — Deinceps bella Persica exponebantur et illa tempora, quae respicit Thucyd. I, 97 *ἔγραψα δὲ αὐτὰ — διὰ τόδε, ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά. τούτων δὲ* (i. e. quae inter bellum Persicum et Peloponnesiacum intermedia erant) *ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη.* Enarravit igitur aevum Cimonis, Periclis, factorum gravissimorum memoria insigne, sed breviter et in temporibus negligenter; scilicet relicta illa materie, in qua omnis tunc historia sese continere solebat, stiloque suo ad nova studiorum

45) Ibidem de Stephanephoro Heraclide memoratur ex Hellanico *ἐν ι Φορωνίδος*, ubi scribendum puto *ἐν β'*.

46) [Cf. Strabon. XIV, p. 636 a, Eustath. ad Dion. P. 825, Diog. L. I, 83, Mionnet descript. III, p. 186.]

47) V. Demeter u. Perseph. p. 392 sqq. De Thalete dixi in Histor. Philos. ex fontt. locis contexta p. 9 [edit. sec. eadem pag.]

conamina translato, fecit quod primum quodque facientibus ac- 27
cidere solet, adsuetam commentationum logographicarum indolem transtulit ad id quod modo factum erat, rumores hominum sciscitatus est, stemmata atque genealogias procudebat, recentia miscuit antiquis. Sed ad expositionem illam *τῆς πεντακονταετίας*, quam dicit Thucydides, unicus qui ex quarto libro Atthidis citatur locus referendus videtur, ap. Harpocr. v. *Πηγαί, τόπος ἐν Μεγάροις, ὡς ἐν δ' τῆς Ἀτθίδος φ. Ἑλλ.* Pegarum, portus Megarici, frequens mentio fiebat in illis expeditionibus, quibus Pericles iuvenis praefectus erat; inde enim et ad Peloponnesum circumnavigandam profectus est et in expeditione adversus Sicyonios, v. Thucyd. I, 103; 107; 111; 115; IV, 21; Plutarch v. Pericl. c. 1. Verum tetigit Hellanicus etiam inferiora tempora ipsumque bellum Peloponnesiacum. Quo facit quod de Andocidis stirpe adhibetur ap. Plutarch. v. Alcib. c. 21 et Suid. v. *Ἀνδοκίδης*, ubi genus Andocidis ad Telemachum et Nausicaam revocatur, et ap. Plut. X oratt. in Andocide et Phot. bibl. p. 795, 23 Hoeschel, ubi idem dicitur soboles Mercurii. Erat Andocides ex Cerycibus, qui a Mercurio derivabantur; quem quod simul repetebat a Telemacho et Nausicaa [48]), id videtur proprium familiae Andocideae stemma fuisse [49]). Ceterum Andocides classi praefectus est a. 432, maxime inclaruit in actione de Hermocopidis a. 415, quae res omnino talis erat, quam ab Hellanico superstitiosa cum diligentia explicatam fuisse putemus. Denique, quod ultimum factum ab eo memoratum esse scimus, meminit etiam pugnae navalis ad Arginusas a. 406 commissae, quo pertinet Sch. Arist. Ran. v. 706 *τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους Ἑλλάνικός φησιν ἐλευθερωθῆναι καὶ ἐγγραφέντας ὡς Πλαταιεῖς συμπολιτεύεσθαι αὐτοῖς* [*διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ πρὸ Καλλίου*], de quo loco dixerunt Boeckhius Oecon. Civ. Att. I, p. 282 [ed. alter. I, p. 366] et Dahlmannus in Herodoto p. 123 [cf. Schol. Arist. Ran. 720 *τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους. Ἀλλὰ νικᾷ, φησί, χρυσοῦν νόμισμα κοπῆναι. καὶ Φιλόχορος ὁμοίως, τὸ ἐκ τῶν χρυσῶν Νικῶν*, ubi cum Bentleio legendum *Ἑλλάνικός φησι*, cf. fragmenta historicorum graecorum, ed. Paris., I, p. 403].

Restat locus ap. Harpocr. v. *εἱλωτεύειν· εἵλωτες οἱ μὴ* 28

---

48) Eodem spectat quod servavit Eustath. ad Od. p. 1796, 42 *Ἀριστοτέλης ἐν Ἰθακησίων πολιτείᾳ καὶ Ἑλλάνικος δὲ Τηλέμαχόν φασι Ναυσικάαν γῆμαι τὴν Ἀλκινόου καὶ γεννῆσαι τὸν Περσέπτολιν.*

49) [Cf. Grotefend Zur Geschichte und Geogr. von Alt-Italien p. 23. F. Vater rerum Andocid. part. I, p. 2 sq.]

γόνῳ δοῦλοι Λακεδαιμονίων, ἀλλ' οἱ πρῶτοι χειρωθέντες τῶν Ἕλος τὴν πόλιν οἰκούντων, ὡς ἄλλοι τε πολλοὶ μαρτυροῦσιν καὶ Ἑλλ. ἐν α', quo loco si Atthidem respici existimemus, numerus corruptus erit. Sed videtur peculiari aliqua commentatione de Sparta rebusque Spartanorum egisse; quo faciunt quae leguntur ap. Sch. Aristid. Panath. p. 83 ed. Frommel. καὶ γὰρ Δωριεῖς ὄντες (οἱ Λακεδαιμόνιοι) τὸ παλαιὸν Πελοποννήσιοι ὕστερον γεγόνασι, ὡς Ἑλλάνικος λέγει καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν, unde patet Hellanicum Doriensium migrationes sedesque diversas similiter atque fecit Herodotus explicuisse. Et dixit etiam de republica Spartanorum, quam totam revocabat ad cascos illos Heraclidas, Eurysthenem atque Proclem, castigatus propterea ab Ephoro, v. Strab. VIII, p. 366 Ἑλλ. μὲν οὖν Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν· Ἔφορος δ' ἐπιτιμᾷ φήσας Λυκούργου μὲν αὐτοῦ μηδαμοῦ μεμνῆσθαι, τὰ δ' ἐκείνου ἔργα τοῖς μὴ προσήκουσιν ἀνατιθέναι, qua in re tantum inter recentiores abest Od. Muellerus Dor. II, p. 15 ut consentiat cum Ephoro, ut patrocinium Hellanici susceperit. Mihi rectius iudicasse videtur Dahlmannus, pigritiam quandam ingenii in hoc cerni existimans, ultra tritam omnibus viam conniti nondum ausi, ut in fabulis potissimum fabulosisque temporibus versatus etiam recentia eo veluti removerit et ad similem indolem inflexerit, fortasse dignitatem adeo quandam ratus inde rebus noviciis adstruendam esse.

b. Aeolica. Lesbica.

Antiquissima Lesbi colonia Pelasgorum erat, qui Macare duce postquam ex Graecia in Asiam traiecerant, cum alias ex vicinis Hellesponto insulas, tum Lesbum occupaverunt, v. Dionys. H. A. R. I, 18, quem verisimile est in his sequi Hellanicum; v. supra p. 16. Ex Lesbo deinde in Chium insulam, Samum, Con, Rhodum colonos missos esse perhibet Diod. S. V, 81; quo refe-
29 rendum videtur fragmentum Hellanici ap. Schol. Od. ϑ, 294, ubi citatur ἐν τῷ περὶ Χίου κτίσεως, cf. Sch. Apollon. I, 608; Tzetz. Lycophr. v. 227, 460, quibus locis narratur de colonis Lesbo puta navigantibus atque ad Tenedum et Lemnum appellentibus, ubi pars eorum manebat: τούτοις (i. e. primis Lemni incolis, qui Sinties appellabantur propter fabricam armorum atque telorum πρὸς τὸ σίνεσθαι τοὺς πλησίον) συνῴκισαν ἑαυτοὺς ἀναμὶξ ὡς ἦλθον αὐτόθι καὶ κατέλιπον ναῦς πέντε, scilicet cum pergebant in insulam Chium. Si de Rhodi etiam at-

que Coi originibus proditum erat, adiunxeris quae de his exstant ap. Sch. Pind. Ol. VII, 135 et Steph. B. v. *Καρία*. Sed alteram deinde coloniam Lesbos accepit post Troica, ubi ducibus Tisameno, Penthilo, aliis Aeoles primum illam insulam, deinde Aeolidem quae inde nominabatur petebant; de qua re Hellanicus laudatur ap. Sch. Pind. Nem. XI, 43 *περὶ δὲ τῆς Ὀρέστου εἰς τὴν Αἰολίδα ἀποικίας Ἑλλ. ἐν τῷ πρώτῳ Αἰολικῶν δεδήλωκεν*, et ap. Tz. ad Lycophr. v. 1374 *τὰ δὲ περὶ τῆς ἀποικίας Λέσβου Ἑλλ. ὁ Λέσβιος ἱστορεῖ ἐν α΄ Αἰολικῶν*, unde patet Aeolica et Lesbica eodem volumine exposita fuisse. Mirum quod narrabat Orestem ipsum pervenisse Lesbum, contra quam tradunt ceteri[50]), v. ap. Tz. l. c. *Ὀρέστης συνάξας ἐκ διαφόρων ἐθνῶν λαοὺς — ἦλθεν εἰς Λέσβον καὶ αὐτὸς μὲν ταχὺ ἀποθανὼν πόλιν κτίσαι οὐκ ἠδυνήθη κτλ.*, ubi habes idem illud studium res quam antiquissimas reddendi vetustatisque heroicae speciem etiam iis, quae iam ipsa historia sibi vindicare poterat, affundendi. Praeterea Lesbica libro primo citantur ap. Steph. B. v. *Μαλλόεις* de nomine loci Mytilenis vicini, Apollinis religione inclyti, et ap. eundem v. *Τράγασαι*, quod oppidum in Troade[51]) situm erat, salinis famosum, quas Tragaso Neptunus comparasse tradebatur, cuius filiam Philonomiam amabat Tenus, v. Etym. M. v. *Τραγάσιον*, Pollux VI, 63, al. Alterum librum laudat Steph. B. v. *Νάπη*, de oppido in agro Methymnaeo[52]). Ad inferiora tempora spectat quod ap. 30
Zenob. Prov. V, 61 de fatis Pitanae Aeolidis secundum Hellanicum adnotatur, *φησὶ γὰρ αὐτὴν ὑπὸ Πελασγῶν ἀνδραποδισθῆναι καὶ πάλιν ὑπὸ Ἐρυθραίων ἐλευθερωθῆναι*, ubi apud alios auctores editur *Ἐρετριέων*, v. Sturz p. 115. Denique ad idem opus retuleris testimonia Hellanici ap. Steph. B. v. *Γάργαρα* et *Μέταον*, et de Asso ab Aeolibus condita ap. Strab. XIII, p. 610.

c. Persica.

Hoc opere etsi Graecorum maxime fabulas secutus fuerit, tamen quae de regibus Assyriorum et Persarum traduntur ex ipso

---

50) De re cf. O. Mueller Orchom. p. 477 et Plehn Lesb. p. 36 sq. Locuples de eadem colonia testis est Demon de prov. *ἔσχατος Μυσῶν*, ap. Sch. Vat. Eur. Rhes. v. 248.

51) [Cf. Meinekii analecta Alexandrina p. 129.]

52) [Cf. Strabon. IX, p. 426 *ὥσπερ καὶ Νάπη ἐν τῷ Μεθύμνης πεδίῳ, ἣν Ἑλλάνικος ἀγνοῶν Λάπην ὀνομάζει.* Videtur Strabo vitiose exemplo scriptorum Hellanici usus esse.]

etiam Oriente famam ad Hellanicum penetrasse ostendunt, non aliam credo, quam quae Phrynichi Aeschylique Musas implevit, non ut illas regiones ipse obierit velut Herodotus et Ctesias. Sed poterant illis temporibus etiam qui non inter Persas peregrinati erant apud Graecos Asiaticos vel etiam in ipsa Graecia satis multa, quae memoratu digna viderentur, ex hominum traditionibus arripere. Memorabile vero Hellanicum, quotquot exstant ex hoc opere, plurimis discrepare ab Herodoto; unde confirmatur id quod supra statui, Aegyptiaca ceteraque id genus scripta, ex Herodoto compilata, Hellanico a recentioribus supposita fuisse.

Solebant fabulatores Graeci omnes gentes exteras stemmata atque genealogias procudendo cum suis ipsorum heroibus ita consociare atque ad unam stirpem copulare, ut Graecia omnium nationum, quotquot tunc notae erant, radix atque mater esse videretur, similiter atque apud Iudaeos antiquitus factum esse monstrat stemma illud Noachidarum. Cuius studii sicuti apud Herodotum vestigia nonnulla deprehenduntur, ita Hellanici opus totum in eo positum erat. Belum atque Agenorem, Phoronei genus, tradebant procreasse Aegyptum, Danaum, Cepheum, Phineum; ab his nominatos esse Aegyptios, Danaos, Cephenes, Ponti accolas. Sic Apollod. II, 1, 4; sic Pherecydes ap. Sch. Apollon.
31 III, 1185; sic etiam Hellanicus ap. St. B. v. *Ἀρταῖα, Περσικὴ χώρα, ἣν ἐπόλισε Περσεὺς ὁ Περσέως καὶ Ἀνδρομέδας. Ἑλλ. ἐν Περσικῶν πρώτῃ.* Andromedae pater erat Cepheus, antiquissimus Assyriorum eponymus, de qua re testimonium Nostri adhibetur ap. eundem v. *Χαλδαῖοι, οἱ πρότερον Κηφῆνες. — Ἑλλάνικος δέ φησιν ἐν πρώτῳ Περσικῶν οὕτω· Κηφέως οὐκέτι ζῶντος στρατευσάμενοι ἐκ Βαβυλῶνος ἀνέστησαν ἐκ τῆς χώρας καὶ τὴν Χογὴν ἔσχον, * οὐκέτι ἡ χώρη Κηφηνίη καλέεται οὐδὲ οἱ ἄνθρωποι οἱ ἐνοικοῦντες Κηφῆνες, ἀλλὰ Χαλδαῖοι* [53]), unde patet priore libro non

---

53) Pro vulg. *ὅτι* cod. Vratisl. *οὕτω*. Deinde ex eodem dedi *καλέεται* pro *καλεῖται*. *Χογὴν* videtur corruptum, sed cetera etiam turbata sunt et exciderunt nonnulla ante *οὐκέτι*. De re consentit Herod. VII, 61 *ἐκαλέοντο δὲ πάλαι ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων Κηφῆνες, ὑπὸ μέντοι σφέων αὐτῶν καὶ τῶν περιοίκων Ἀρταῖοι. ἐπεὶ δὲ Περσεὺς ὁ Δανάης τε καὶ Διὸς ἀπίκετο παρὰ Κηφέα τοῦ Βήλου καὶ ἔσχε αὐτοῦ τὴν θυγατέρα Ἀνδρομέδην, γίνεται αὐτῷ πάϊς τῷ οὔνομα ἔθετο Πέρσην κτλ.* Persae fabulas Graecorum adoptantes, sed antiquitati suae, ne Graecorum progenies viderentur, prospicientes, ipsum Perseum, priorem illum, Assyrium fuisse et inde Graecum factum esse statuebant, v. Herod. VI, 54, unde simul ipsos regnum suum ab Assyriis repetiisse apparet; quod quam recte factum sit copiose exposuit Blumius noster in Herodoto et Ctesia p. 110 sqq.

de solis Persis, sed de ceteris etiam Asiae gentibus traditum fuisse, sicuti fecerat etiam Ctesias. Neque omnino de Persarum regno atque moribus accurate explicari poterat, nisi ceterarum etiam gentium, maxime Assyriorum rebus praelibatis, quippe a quibus illud, licet ipsa gens alius stirpis esset, multa et in moribus aulae et ceteris in rebus per Medos tradita accepisset. Idem in causa erat cur antiquiorem etiam Babylonis memoriam hoc in libro aperiret; veluti dixerat de regno Nini, quo de adhibetur a Cephalaeone in historia Assyriae[54]), fabulosamque adeo Semiramis et Sardanapali, antiquissimi istius ingeniosae desidiae auctoris, historiam attigerat, Graecis celebratissimam; v. Anonym. tract. de mulier. ap. Westerm. Paradoxogr. p. 215 de Atossa viragine, quam primam narravit tiaram gestasse, braccasque et eunuchorum ministerium adhibuisse, cf. Donat. ad Terent. Eunuch. 1, 2, 32
87, litterarumque commercium primam induxisse, cf. Clem. Alex. Strom. I, p. 364 P., qui confudit Atossam Assyriam i. e. Semiramidem, Belochi filiam, v. Sturz. p. 157 sq., et Atossam Persicam. De Sardanapalo testis est Sch. Arist. Av. v. 1022 *ὁ δὲ Ἑλλ. ἐν τοῖς Περσικοῖς δύο φησὶ Σαρδαναπάλους γεγονέναι*[55]), unde intelligitur iam Hellanicum isto chronologorum artificio usum esse, si temporum ratio quadrare nolit, duos ex eodem homines cognomines procudendi, id quod in Semiramide quoque fecisse videtur. Denique eodem libro etiam de Phineo eisque gentibus, quae huius dicionis fuisse tradebantur, dictum fuisse arbitror, quo facit Sch. Ap. II, 178 *Ἀγήνορος γὰρ παῖς ἐστὶν (Φινεὺς), ὡς Ἑλλ. — ἔνιοι δὲ (αὐτὸν) ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ βασιλεῦσαι ἱστοροῦσιν, ἥτις ἐστὶ τῆς Ἀσίας, ὡς Ἑλλ.* Ipsam Persiam antiquo nomine appellabat Aria[56]), genere neutro, populumque Arios, v. St. B. v. *Ἄρια*. Medos vero a Polyxeno, filio Medeae et Iasonis, repetebat, v. Paus. II, 3, 8, dissentientibus ceteris, qui filium Aegei fuisse Medique nomen habuisse memorabant[57]).

---

54) V. Euseb. Chron. I, c. 15 ap. Mai. Script. vett. col. T. VIII, p. 41; cf. Syncell. Chron. p. 167 A. De Cephalaeone v. Niebuhr kl. Schriften p. 188.

55) Sequitur tritissimum illud in scholiis, *εἰς τὸ αὐτό*, unde Sturz. fecit *εἷς δὲ αὐτῶν*, [quae mutatio placet O. Muellero de Sandone et Sardanapalo p. 31; kleine deutsche Schriften II, 106.]

56) Similiter *Αἶμον* dicebat *οὐδετέρως*, itemque Hecataeus, Eudoxus Dionysius, Bekk. An. I, p. 362.

57) Antiqua fabula, v. Paus. l. c., Herod. VII, 62; Apollod. I, 9, 28. Sic factum ut Persae, quos fabularum Graecarum probe gnaros fuisse ex Herodoto constat, Atticam sui iuris esse contenderent, v. Diod. Exc. Vat.

Priore libro postquam prolusum erat Persicis, iam altero ipsa regum successio inde a Cyro repetita esse videtur. Citato libro secundo Hellanicus adhibetur apud St. B. v. *Τυρέδιζα* et Harpocr. v. *Στρέψα* de oppidis quibusdam Thraciae, quorum
33 mentionem factam esse suspicor aut in expeditione Darii aut in Xerxis, de quibus memoratum fuisse apud Hellanicum satis patet ex iis quae exstant ap. Sch. in Aesch. Persas, qui eius testimoniis identidem utitur, credo quia quae apud Aeschylum tradebantur cum Hellanici notationibus magis quam cum Herodoti conspirabant. Sic ad vs. 770 *Κύρου δὲ υἱὸς ὁ Καμβύσης, ἀδελφὸς δὲ κατὰ Ἑλλάνικον Μαρφίου*[58]) *καὶ Μέμφιδος*, ad. vs. 773 *Ἀρταφρένης· τοῦτον Ἑλλ. Δαφέρνην καλεῖ*, ad. vs. 714 *Ἡρόδοτος ζ' φησι Δαρείου παῖδας εἶναι, Ἑλλ. δὲ ια'*. Qui auctor cum et ad vs. 770 et ad vs. 773 laudet Hellanicum, verisimile est secundum eundem ad vs. 771 expromi quo modo Darius ad regnum pervenerit, quae narratio discrepat ab illa, quae legitur apud Herodotum et Ctesiam, habetque eam formam, ut fando magis quam certa cognitionis fide ad auctorem pervenisse eam neque post Herodotum atque Ctesiam ad illum modum fingi potuisse affirmes. Cambysem dicit in Aegyptum proficiscentem duobus magis administrationem regni mandasse, consilio simul ex nobilibus ad regnum participandum formato; certe tale quid subesse videtur illis, *ἐπειδὴ οἱ Πέρσαι πάντα τῇ βουλῇ διεπράττοντο*, idemque consilium habes apud Aeschylum in Persis. Magos illos appellat Artaphernem et Darium, quae nomina ne confusione orta putemus facit quod additur, hunc Darium alium fuisse atque eum qui regnum postea adeptus sit; unde patet auctorem de veris nominibus nondum compertum habuisse. Magos illos post mortem Cambysis ab ceteris de regno deiectos esse. Iam plurimos regnum ultro detrectasse; sibi magis placere ad suum arbitrium vivere[59]). Artaphernem vero,

l. VII—X, 48 *Δᾶτις ὁ τῶν Περσῶν στρατηγὸς Μῆδος ὢν τὸ γένος καὶ παρὰ τῶν προγόνων παρειληφὼς ὅτι Μήδου τοῦ συστησαμένου τὴν Μηδίαν Ἀθηναῖοι κατέστησαν ἀπόγονοι, ἀπέστειλε πρὸς τοὺς Ἀθηναίους εἰπεῖν ὡς πάρεστι μετὰ δυνάμεως ἀπαιτήσων τὴν ἀρχὴν τὴν προγονικήν κτλ.*, cf. Sch. Ven. Arist. Pac. v. 289 *ὃν ἀντιποιήσασθαι τῆς Ἀττικῆς ὡς ἰδίας* (*ἑλληνίζειν βουλόμενος* addit Sch. vulg.), *ἀπὸ Μήδου γὰρ τοῦ Μηδείας καὶ Αἰγέως ἐδόκει εἶναι.*

58) Ap. Aeschyl. Pers. v. 780 idem nominatur *Μάρφις* vel *Μάραφις*. Apud Herod. I, 125 Maraphii sunt inter genera Persarum. Steph. B. s. v. eosdem a rege quodam Maraphio dictos perhibet, quem Ariaethus (libb. *Δίαιθος*) apud Schol. et Eustath. Il. *γ*, 175 dicit filium Helenae et Menelai.

59) *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ταύτην* (*τὴν βασιλείαν*) *λαβεῖν ἀπείπαντο φή-*

vel potius Daphernem quem Hellanicus appellabat, atque Darium 34
certamen equestre iniisse, pacto ut utrius equus, ubi ad metam ventum esset, primum hinniret, ei regnum obtingeret. Iam Dario cum equisone suo callide convenisse ut tunicam ad genitalia equae feminae affricaret eamque fatali illo momento ad nares equi admoveret. Ita factum esse ut Darius regno potiretur. Aliis aliter rem narrari. — De bellis adversus Graecos gestis testimonium Hellanici contra Herodotum VIII, 46 adhibetur a Plutarcho de Herod. malign. c. 36, malitiose Herodotum agere contendente quod de Naxiorum defectione retulerit, quum Naxii teste Hellanico sex navibus, Ephoro teste quinque navibus sponte Graecis auxilio venerint.

III. SCRIPTA CHRONOLOGICA.

a. Sacerdotes Iunonis Argivae.

Opus omnium, si historiam artis historicae respicias, facile gravissimum, quo certam temporum computandorum rationem conatus est Hellanicus, quae licet imperfecta fuerit, tamen eam laudem sibi vindicare optimo iure potest, quae prima in artibus quibusque periclitantibus fundamentaque struentibus, quibus ceteri ad maiora enitantur, solet ab omnibus haberi.

Appellatur hoc opus a Constantino Porphyrog. Them. II, 2 *Ἱέρειαι αἱ ἐν Ἄργει*, a plerisque *Ἱέρειαι τῆς Ἥρας* vel nude *Ἱέρειαι*. Recentiores idem dicere solent *Ἡρεσίδες*, vereor ut recte, nam nemo antiquorum hoc nomine utitur, neque omnino illae sacerdotes, de quibus scripsit Hellanicus, sic appel- 35
latae esse videntur, sed aliud puellarum sacerdotium [60]).

σαντες ἐλευθέρους ἑαυτοὺς εἶναι βουλεύεσθαι καὶ μήτε ἄρχειν μήτε ἄρχεσθαι καὶ ἀπολαύειν τῶν τῆς ἀρχῆς δεινῶν. Similiter Otanes ap. Herod. III, 83 οὔτε γὰρ ἄρχειν οὔτε ἄρχεσθαι ἐθέλω, et patet Herodotum praeclaras illas orationes non ex nihilo finxisse, sed rumusculos quosdam ea de consultatione sparsos fuisse, cf. 80 καὶ ἐλέχθησαν λόγοι ἄπιστοι μὲν ἐνίοισι Ἑλλήνων (quibuscum familiari sermone ea de re conversatus erat), ἐλέχθησαν δ᾽ ὦν, [et VI, 43, ἐνθαῦτα μέγιστον θῶυμα ἐρέω τοῖσι μὴ ἀποδεκομένοισι Ἑλλήνων, Περσέων τοῖσι ἑπτὰ Ὀτάνεα γνώμην ἀποδέξασθαι, ὡς χρεὼν εἴη δημοκρατέεσθαι Πέρσας]. — De reliquis cf. Herod. III, 86, 87.

60) Hesych. Ἡρεσίδες κόραι αἱ λουτρὰ κομίζουσαι τῇ Ἥρᾳ. Inde iudicandum de Etym. M. s. v. Ἡρεσίδες, αἱ ἱέρειαι τῆς ἐν Ἄργει Ἥρας, ἀπὸ τῆς Ἥρας. Adde Hesych. v. Ἀδησίδες, ἱέρειαί τινες ἐν Ἄργει ἀδύτῳ ναῷ, ubi Hemsterh. scrib. c. Ἀρέσιδες, quod adoptavit Lob. Agl. p. 817. De virginibus λουτροφόροις v. Callim. in lav. Palladis (ὦ κῶραι, παρθενικαὶ παῖδες etc.) c. nott. Spanhemii.

4*

Iunonis Argivae religio sicuti antiquissima erat et cum ipsis illarum regionum primordiis contexta[61]), ita mansit etiam post occupationem Doriensium sanctissima vicinisque populis celebratissima. Templum ab Argis distabat stad. 45, Herod. I, 31, a Mycenis stad. 15, Paus. II, 17, 1. Hinc et a Tirynthiis antiquissimae sacerdotes capiebantur, deinde, postquam Argos omnis se harum regionum potentia contraxerat, ex Argivis. Quarum sacerdotum statuas ante templum positas vidit Pausanias, heroibus intermixtas, quem honorem et propter muneris sanctitatem meruisse videntur et propter summam, qua ipsae conspicuae erant, generis nobilitatem: certe inter antiquissimas plures regulorum vel filiae vel sorores numerantur. Ceterum sacerdotium gentilicium erat, certe antiquioribus temporibus[62]), singulaeque eligebantur in vitam, ita tamen, ut nubere possent viro, quod in sacerdotibus Iunonis satis per se consentaneum est et luculento insuper exemplo probatur per matrem Cleobis atque Bitonis.

Iam quod per omnes Graecorum civitates mature usu venit, ut anni publice numerarentur sive secundum magistratus civiles
36 sive secundum eius religionis, quae apud quosque sanctissima erat, antistites[63]), idem apud Argivos factum ut Iunonis sacerdotum nominibus temporis discrimina notarentur. Qua ex consuetudine mox successio quaedam atque series annorum similiter consignatorum facta est, numeris etiam annorum, quibus quisque munere suo functus erat, adiectis, cuius generis memorabile exemplum exstat in titulo Halicarnassensi, a Boeckhio in Corp. Inscr. Vol. II n. 2655 tractato, quo successio sacerdotum

---

61) Paus. II, 15, 4 *ἐν γὰρ τῇ νῦν Ἀργολίδι ὀνομαζομένῃ τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα οὐ μνημονεύουσιν, Ἴναχον δὲ βασιλεύοντα τόν τε ποταμὸν ἀφ' αὑτοῦ λέγουσιν ὀνομάσαι καὶ θῦσαι τῇ Ἥρᾳ.* Eodem pertinet quod Ionem, primam Iunonis sacerdotem, multi interque eos Castor chronologus, filiam Inachi dicebant, v. Apollod. II, 3, 3.

62) Simili opinor iure atque sacerdotium Neptuni Halicarnassensis, quod ex titulo inscr. illustravit Boeckhius C. I. II, p. 451.

63) Sic ap. Sicyonios sacerdotes Apollinis Carnei per 33 annos eponymi erant, v. Castor. ap. Euseb. Chron. cf. Scaliger. Animadv. p. 56 b, Euseb. Vat. ed. Mai p. 128; 130; Chron. barb.-latin. p. 75 in Scaligeri Thes. temp. Amstelod. 1658. Similiter apud Tegeatas anni eponymus fuit sacerdos Minervae Aleae, v. Boeckh. C. I. I, p. 701, Ross Inscr. Gr. ined. n. 2; Mantineae sacerdos Neptuni Equestris, Ross ib. n. 9 p. 4 b; 5 a. Adde, quorum meminit Boeckhius l. c., sacerdotem eponymum in decretis Amphictyonicis ap. Demosth. de cor. p. 278 Rsk., *ἱεράπολον* ap. Acarnanes et Gelenses, *ἱεραμνάμονα* ap. Byzantios, *ἱεροθύτας* ap. Agrigentinos et Melitenses, et ex inferioribus Athenarum temporibus sacerdotem *τῶν σωτήρων*, v. Plut. v. Demetr. c. 46; Boeckh. de Philoch. p. 6.

Neptuni, cuius sacra a Troezeniis ad Halicarnassenses, colonos
suos, propagata erant, ita proponitur, ut ab antiquissimis inde
temporibus nomina additis singulorum sacerdotiorum numeris
continuentur; quo in recensu apertum est fabulosa primorum
sacerdotum nomina a posterioribus ficta esse, eo videlicet tempore,
ubi scribendi arte iam divulgata cum desiderio originum cuius-
que rei repetendarum studium illud genealogicum ortum erat,
quo antiquissima Graecorum historia omnis involuta est. Tali-
bus vero recensibus mature etiam notationes quasdam rerum per
singula sacerdotia vel regna memorabilium additas fuisse consen-
taneum est, eoque modo iam annales quidam libri conditi sunt,
quales Romae a Pontifice Maximo quotannis in albo proponi so-
lebant. His autem conficiendis quoniam sacerdotes plerumque
praefecti erant, consequens erat ut quae templi alicuius memo-
riam fabulasque sacras spectarent maxime adnotarentur, quas
notitias similiter atque nomina sacerdotum vel regum etiam fa-
bulosis temporibus accommodabant[64]): quae fabrica quantum 37
fecerit ad fabulas procudendas, genealogias concinnandas, sed
historiae etiam quaedam semina spargenda, satis in universum
aestimanti declarant antiquissimae Graecarum civitatum tra-
ditiones.

64) V. de talibus recensibus (ἀναγραφαῖς) O. Mueller in Dor. I, p. 130 et in Notitt. Litterar. Gotting. a. 1837, p. 893, ubi citat Clintonem Fast. Hell. Vol. I (ipsum non potui consultare), quem nimium illis tribuere dicit, quod recensus regum Spartanorum credat eo ipso tempore, ubi Peloponnesus a Doriensibus occupata sit, conditos esse, catalogum vero Sacerdotum Iunonis aeque vetustum atque bellum Troianum, fortasse etiam vetustiorem fuisse suspicetur. Ipse deinde sic pergit: Es ist gewifs, dafs diese Urkunden verhältnifsmäfsig sehr alt waren, da sie den kundigsten Forschern (Hellanicus, Eratosthenes) verbürgt genug schienen, um der chronologischen Berechnung ganzer Zeiträume zu Grunde gelegt zu werden. Dessenungeachtet sind wir wohl genöthigt anzunehmen, dafs in der Zeit, wo die Schrift bei den Griechen sich bestimmter nachweisen lässt, d. h. im 8ten oder höchstens 9ten Jahrh. v. Chr., der Landesgeschichte kundige Spartaner nach den Erinnerungen der ältesten Leute und auf das Alterthum stolze Priester von Argos nach allerlei Spuren und Vermuthungen diese Register zusammengesetzt haben. — Wären aber alle diese Verzeichnisse in der Zeit, bis zu der sie hinaufgehen, oder auch nur um die Zeit der Herakliden-wanderung niedergeschrieben, so müfste schon damals eine Uebung der Schreibekunst und zugleich ein Eifer für Aufbewahrung denkwürdiger Facta stattgefunden haben, die sich mit der Dürftigkeit und Unzuverlässigkeit der griechischen Geschichte in diesen Jahrhunderten nicht vertragen will. Die griechische Geschichte müsste dann frühzeitig den Character gleichzeitiger Annalistik zeigen, etwa wie die römische von der Zeit der Republik an.

Qui ante Hellanicum commentariis illis Argivorum usus sit,
88 scimus neminem[65]; nam quod existimaverit quispiam, aeneas tabulas, ex quibus Acusilaum genealogias suas expressisse ferunt, eodem revocandas esse, nimis dubia illius scriptoris memoria est. Neque de Hippye Rhegino, quem Chronica scripsisse primum omnium perhibent, satis in promptu est[66]. Sed similibus fontibus in simili opere ante Hellanicum usus erat Charon Lampsacenus, in opere *πρυτάνεις τῶν Λακεδαιμονίων* inscripto. Ex Alexandrinis, qui studia temporum describendorum insigniter coluerunt, hoc loco nominare attinebit Chironem Naucratitam, qui scripserat *περὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων καὶ τῆς διαδοχῆς αὐτῶν καὶ περὶ τῶν ἐπὶ ἑκάστου πραχθέντων.*

Ex opere Hellanici citantur libri tres, unde refutatur Sturzius, qui Sacerdotes idem opus atque Phoronidem fuisse putavit,

---

65) Quod Creuzerus scribit, de arte historica Gr. p. 83: Früher hatten schon Hippys und Theagenes von Rhegion *ἀναγραφαὶ* dieser Priesterinnen und der Priester von Sikyon geliefert, falsus est vir doctissimus, neque hoc dicit, quem testem producit, Heynius in Apollodoro, certe non in hisce: „Fuere etiam qui chronica attingerent inque primis Theagenes Rheginus circa Cambysis tempora, tum Hippys Rheginus: fuere qui *ἀναγραφὰς* sacerdotum Argivarum et Sicyoniorum scripto comprehenderent.“ Ceterum Theagenem quod inter chronographos numerant, error est ab auctore anonymo *τῆς Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῆς* propagatus, quem nunc constat inter omnes esse Scaligerum, v. Thesaur. tempp. p. 317; Clint. F. H. II, prooem. p. XXV; Boeckh. de Philochoro p. 22.

66) Suid. v. *Ἀκουσίλαος — ἔγραψε γενεαλογίας ἐκ δέλτων χαλκῶν, ἃς λόγος εὑρεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ ὀρύξαντά τινα τόπον τῆς οἰκίας αὐτοῦ.* Genealogiae istae maxime Argivae erant, neque non commemoraverat de sacerdotibus et monumentis Iunonis, cf. Apollod. II, 1, 3; 2, 2. Sed cf. Suid. v. *Ἑκαταῖος· — τὰ γὰρ Ἀκουσιλάου νοθεύεται.* Cui testimonio etiamsi non tantum tribuerim, ut nullam eorum fidem fuisse arbitrer, quibus sub nomine Acusilai usus est Apollodorus, tamen quae de tabulis illis metallicis narrantur, quibus aliquantum tribuit Nitzsch. Hist. Hom. I, p. 73, suspicionem recte moverunt Welckero Cycl. ep. p. 161 et Bernhardo Suid. I, 1, p. 173. Hippys Rheginus vixit *κατὰ τῶν Περσικῶν* et primus scripsit de rebus Siculis et Italicis, teste Suida. Chronica eius citantur ab Zenob. Adag. III, 42, aliis, v. Voss. de hist. Gr. p. 20 Westerm. Attamen difficile in eo distinguere quae antiqui historici esse videantur, quae recentiorum scriptorum, Hippiae, Hipponis, aliorum, qui solent cum illo confundi. Sic quae leguntur ap. Antig. de Mirab. c. 121 *Ἵππων ὁ Ῥηγῖνος περὶ τῶν λεγομένων τόπων φθείρειν τὰ ἐμπίπτοντα τοιοῦτόν τι γράφει,* ubi tempus aedificii ap. Palicos Siculos exstructi Ol. 36 definitur aera Olympiadum cum Archontibus Atticis commissa, a Vossio vindicantur Hippyi; id quod aperte falsum est, nam ista computatio est temporum recentiorum. — De Charone v. Creuzer fragm. Histor. Gr. p. 127; de Chirone Suid. v. *Χείρων*, Eudoc. p. 436.

praeterquam quod manifestum est, scriptorem prorsus aliam ra-
tionem in altero secutum esse, aliam in altero. Sine dubio mul- 39
tae res communes erant Phoronidi et Sacerdotibus; sed idem
cadit in Deucalioneam, in Troica, quorum argumenta ex parte
repetebantur in Sacerdotibus; neque omnino rerum delectu pro-
prietas huius operis aestimanda est, sed via, qua in rebus dispo-
nendis usus erat, chronologica. Videtur enim quasi canonem
sibi fundasse, quo quae ceteris libris separatim tractata erant, ad
unum conspectum certaque temporum intervalla componerentur.
Qua in re quantum ex ipsis sacerdotum tabulis praeter nomina
numerosque annorum, quibus singula sacerdotia finita erant, in
suum usum converterit, difficile dictu est. Credas tamen anti-
quiora maxime tempora et eas fabulas atque traditiones, quae ad
Argivos Argivorumque sacra et cum exteris nationibus commer-
cia pertinerent, ad usum logographi ab ipsis sacerdotibus prae-
parata fuisse, ut sunt in fabula Ius, Persei, Herculis, in stemma-
tis Phoronidarum, quae doctam quandam speciem prae se ferant,
partim chronologicam, partim geographicam atque ethnographi-
cam [67]), eamque talem, ut non ex posteriorum scriptorum inter-
pretationibus orta, sed ipsis illis fictionibus insita et vera indoles
earum esse videatur. Talia Hellanicum in sua volumina trans- 40
scripsisse crediderim, sed addidisse plurima eumque in modum,
ut angustior, quo Argivorum studia continebantur, orbis ad am-
bitum longe ampliorem, quo diversissimae gentes, terrae, aeva
comprehenderentur, patesceret, denique ut universalis quaedam
historia, qualis quidem ab Hellanico effici poterat, adumbraretur.

Singulorum librorum argumenta atque terminos si quaeri-

---

67) Eius generis sunt quae de Ius fuga narrantur deque procreatione Epaphi, Aegypti, Danai, de Persei fatis etc., quae eo tempore ficta esse puto, quo Orientis res, per Phoenices maxime, Graecis primum innotuerunt, potissimum Argivis, quibuscum Phoenicibus tunc plurimum commercium erat, v. Herod. initio, *Φοίνικας — ἀπαγινέοντας φορτία Αἰγύπτιά τε καὶ Ἀσσύρια τῇ τε ἄλλῃ χώρῃ ἐσαπικνέεσθαι καὶ δὴ καὶ ἐς Ἄργος. τὸ δὲ Ἄργος τοῦτον τὸν χρόνον προεῖχε ἅπασι τῶν ἐν τῇ νῦν Ἑλλάδι καλεομένῃ χώρῃ*, quae si non de Inachi atque Ius temporibus, tamen de iis optimam fidem habent, de quibus nuper disseruerunt Boeckhius Disquisitt. metrolog. p. 33 sqq. et Od. Muellerus in cens. operis Boeckh. Notitt. litt. Gotting. 1839, n. 94 et 95. Eodem pertinet quod fabula Herculis Argivi cum sacris Iunonis coniunctissima est, cf. Apollod. II, 5, 9 sqq., et chronologicas adeo quasdam rationes sequitur, v. Apollod. II, 4, 9 *ἐν δὲ τοῖς βουκολίοις ὑπάρχων ὀκτωκαιδεκαέτης τὸν Κιθαιρώνειον ἀνεῖλε λέοντα*, II, 5, 11 *τελεσθέντων δὲ τῶν ἄθλων ἐνὶ μηνὶ καὶ ἔτεσιν ὀκτώ* (similia notavit Welcker Ep. Cycl. p. 91). Cf. etiam Herod. II, 145 cum nota Muelleri Dor. II, p. 470 sq.

mus, tempora fragmentorum quam diligentissime examinanda erunt; quod cum coniunctissimum sit cum ipsarum sacerdotum Iunonis successione, attinebit quotquot nomina ex illis exstant antea componere atque ad certas temporum descriptiones revocare [68]).

Exstant decem nomina, quarum antiquissima est **Io Callithyia**, quam primam Iunonis sacerdotem fuisse consentiuntur omnes; quae in fabulis solet appellari Io, in chronologia Callithyia h. e. *καλὴ θυιάς*, pulchra sacerdos [69]). Dicitur filia Pirenis vel Pirasi vel Piranthi [70]), mater Trochili, quem Bellerophontis Corinthii et Eumolpi Eleusinii aemulum subministraverant inferiores Argivorum fabulatores [71]). Sacerdotium eius, si Eu-
41 sebium et Syncellum p. 149 B sequare, exsuperat tempora Cecropis. Ponitur ab illis floruisse 1638 annos a. Chr. n., 862 annos ante Ol. I, 458 annos ante aeram Troianam.

2) **Hypermnestra**, Danai filia, Lyncei servatrix, quam Eusebius tradit 1433 annos a. Chr. n. h. e. 205 annos post Callithyiam sacerdotio functam esse, ut quinque minimum inter utramque sacerdotia statuenda sint. Aetas Hypermnestrae re-

---

68) Cf. Valesius ad Excerpt. Polyb. p. 1395, 30 ed. Iac. Gronov. Amstelod. 1670.

69) V. Euseb. Canon. Chron. ap. Mai. Script. vett. nov. collectio T. VIII, p. 291; [Syncell., 149 D, p. 283. ed. Bonn. *Καλλίθυια Πείραντος ἐν Ἄργει πρῶτον ἱεράτευσε τῆς Ἥρας.*] Eandem esse Ionem atque Callithyiam docet Scaliger Thes. tempp. Animadv. ad Euseb. Chron. p. 24 a, Heyne ad Apollod. II, 1, 3. In Phoronide, antiquo carmine epico, ap. Clem. Stromm. I, p. 418 P. nominatur *Καλλιθόη*, ap. Hesych. ex alio scriptore *Καλλιθύεσσα*. [Cf. Prelleri Mythol. gr. II, p. 40, ed. alt. K.]

70) [Potius **Pirantis**, cf. Prelleri Mythol. gr. II, p. 39. K.]

71) V. Plutarch. de Daedalis ap. Euseb. Praep. Ev. III, 8, p. 99 ed. Colon.; Hesiod. et Acusil. ap. Apollod. II, 1, 3. Apud eundem Castor *ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα* cum multis tragicis Ionem Inachi filiam statuisse traditur, ut aliam in regnis atque sacerdotiis Argivorum chronologiam induxisse videatur, quare anceps est, Eusebii notationes ad Hellanicum transferre. Trochilus filius Callithyiae sacerdotis est, non Ius, matris Epaphi, ap. Theon. ad Arat. Phaen. v. 161 *οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν Ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι ἢ Βελλεροφόντου ἢ Τροχίλου τῆς Καλλιθυίας παιδός, τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας, ἅρμα πρῶτον ζεύξαντος*, cuius nomen factum a *τροχός*, ut *Πλημναῖος* a v. *πλῆμναι*. De Trochilo hierophanta, Triptolemi patre, v. Paus. I, 14, 2. Pertinet hoc ad miram illam Argivorum inferiorum ambitionem, qua omnia sacra et fabulas a suis heroibus derivare satagebant, de qua dixi in Cer. et Proserp. p. 300; eodemque facit quod legitur ap. Paus. II, 16, 3 *ὃν δὲ προσποιοῦσιν Ἀκουσιλάῳ λόγον, Μυκηνέα υἱὸν εἶναι Σπάρτωνος, Σπάρτωνα δὲ Φορωνέως, οὐκ ἂν ἔγωγε ἀποδεξαίμην, διότι μηδὲ αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι.*

spondet regnis Lyncei et Danai apud Argivos, Pandionis I apud Athenienses.

3) Alcyone, filia Stheneli et Eurysthei soror, cf. Apollod. II, 4, 4, ubi quae nominatur *Ἀλκινόη* eandem esse vidit Heyn. ad Ap. III, 10, 1. De huius sacerdotio insigne exstat testimonium Hellanici apud Dionys. H. A. R. I, 22 *τὸ μὲν οὖν Σικελικὸν γένος οὕτως ἐξέλιπεν Ἰταλίαν, ὡς μὲν Ἑλλ. ὁ Λέσβιός φησι, τρίτῃ γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, Ἀλκυόνης ἱερωμένης ἐν Ἄργει κατὰ τὸ ἕκτον καὶ εἰκοστὸν ἔτος*, unde simul patet Hellanicum in opere suo singularum sacerdotum tempora cum aera Troiana commisisse, minora autem intervalla secundum genera descripsisse.

4) Admeta. De hac exstat notatio Syncelli, quae ex Castoris Chronicis fluxisse videtur, unde Eusebius atque Syncellus regna Argivorum, Mycenaeorum et Sicyoniorum descripserunt. Leguntur ibi haec p. 172 ed. Paris.: *Ἀδμήτη* (libb. *Ἀδάμαντα*) *θυγάτηρ Εὐρυσθέως ἐν Ἄργει ἱεράτευσεν ἔτη λη. αἱ δὲ ἀπὸ ταύτης τὴν ἱερωσύνην διαδεξάμεναι Φαλίδες ἐκαλοῦντο.* Eadem nominatur ap. Apollod. II, 5, 9 et ex hoc ap. Tzetz. ad Lycophr. v. 1327 in historia Herculis, cuius opera in 42
huius sacerdotio perpetrata esse ponebant. Quo pertinet opus sculptum Musei Albani, editum atque illustratum a Zoëga Bassiril. t. LXX et Millino Gall. myth. t. CXXIV, aliis, perquam illud memorabile, sed de cuius significatione valde dissentitur inter viros doctos [72]). Proponam quod mihi verisimillimum est. Anaglyphum bipartitum est, ut alia in superiore parte conspiciatur repraesentatio, alia in inferiore. Haec monstrat talem scenam, quales in iis operibus, quibus victoria gymnica vel musica celebratur, exprimi solent. Victoria sacerdoti aquam in pateram infundit, adstante heroe habitu gymnico, pateram manu tenente, quam ad Victoriam admovet. Apposita est ara atque tripus, cuius fundamentum litteratum est, unde intelligitur templum Apollinis Daphnephori Thebani repraesentari. Heros ille manifesto Hercules est, post victoriam Apollini illi, cuius iuvenis sacerdos fuerat, *χαριστήρια* libans; credo post primam victoriam, ut hoc opere prima eius curriculi ingressio significetur, quod postquam impigre permensus erat, consummatae felicitatis prae-

72) V. Platner in enarratione Musei villae Albani, Beschreibung der Stadt Rom etc. Vol. III, 2, p. 518 sqq. Cf. O. Jahn Vasenbilder, Hbg. 1839, p. 30; [die Gemälde des Polygnotos in der Lesche zu Delphi p. 72 sq. et archaeologische Zeitung 1844, p. 301.]

mio illo afficiebatur, quod in superiore anaglyphi parte variis figuris expressum est. Cernitur ibi Hercules *ἀναπαυόμενος*, quod adscriptum est, i. e. in pelle leonina recubans, festiveque atque opipare comissans. Circumfusi sunt mulieres et satyri, quorum alius poculum, quod est in manu herois, furtive haurit, dum ipse respicit alium satyrum, mulierculam petulanter attrectantem. Repraesentatur *Ἥβας γάμος*, quo Hercules in Olympo beatus est, idque eo modo, ut recte mihi Viscontus suspicatus esse videatur, Epicharmi fabulam artifici observatam esse. Iam si altera scena initium victoriarum, altera finis quo opus coronatum est proponitur, adstant utrimque columellae litteratae, quibus singula opera perscripta sunt, ut omnis historia Herculis hoc anaglypho satis scite comprehendatur. In infimo margine leguntur haec: *Ἥρας Ἀργείας ἱέρεια Ἀδμάτα Εὐρυσθέως καὶ Ἀδμάτας τᾶς*
43 *Ἀμφιδάμαντος ἔτη νη*, unde corrigendus Syncellus in loco laudato; quae vocabula eo consilio adiecta sunt, ut temporum etiam notatio compendio illi historiae subiungeretur. — Sed de Admeta sacerdote memorabilis narratio est Menodoti ap. Athen. XV, p. 672 A, in antiquitatibus insulae Sami versatissimi[73]), Admetam post mortem Eurysthei Argis expulsam esse et cum signo Iunonis Samum, a Lelegibus tum habitatam, aufugisse, unde repetebantur origines Iunonis Samiae, post Argivam illustrissimae. Quod ad tempora attinet, Eurystheus secundum Eusebium regnavit 43 annos, ab a. 1302 ad 1259. Admetae munus erat 58 annorum, ut sacerdos fuerit ab a. 1317 ad 1259, unde simul efficitur ut Alcyone, decessor Admetae, defuncta sit a. 1317. Quam si quadraginta annos sacerdotali honore ornatam fuisse ponamus, sequitur ut Siculi a. 1331 in Siciliam transmigraverint, *τὰ Τρωϊκὰ* vero ab Hellanico posita sint circa a. 1231. Quos numeros appono non quasi ipsum Hellanicum sic ratiocinatum esse censeam, sed ut qua ratione in illis temporibus versatus sit ex certis exemplis possit existimari.

5) Secutae sunt Phalides, quarum et de nomine et de historia obscurum est.[74]) Nomen vel patronymicum est vel ab

---

73) V. Polem. frgm. p. 173. De signo Iunonis, quod Admeta Samum transtulit, v. Plutarch. ap. Euseb. Praep. Ev. III, 8, p. 99 ed. Colon.

74) Vales. scrib. putat *Φαεινίδες*, sed sine idonea ratione. *Φαλίδες* patronymicum esse potest eodem modo quo *Παμφίδες*, *γυναῖκες Ἀθήνησιν ἀπὸ Πάμφου τὸ γένος ἔχουσαι*, Hesych. s. v., a Phalo, vel si malis *Φαληΐδες*, a Phaleo quodam; neque desunt similia nomina, velut *Φαλίας*, *Φάλανθος*, *Φάληρος*. Sed verisimilius significari ornatum sacerdotalem, qualis indicatur ap. Hesych. v. *Λόμβαι, αἱ τῇ Ἀρτέμιδι θυσιῶν ἄρχου-*

ornatu quodam inditum; utrumvis ponas, alia haec successio est, 44
credo ex genere Pelopidarum, nam Admeta erat novissima Persidarum. Successit haec gens a. 1259, sacerdotiumque opinor tenuit usque ad reditum Heraclidarum, ut etiam ea, quae iam nominabitur, qua sacerdote Troiam expugnatam esse tradiderat Hellanicus, ex Phalidibus fuerit.

6) Callisto, v. Tzetz. Posthom. v. 770 sqq. *δωδεκάτη μὲν ἔην μηνὸς Θαργηλιῶνος — Καλλιστὼ δ'ἱέρεια κλειναῖς ἦν ἐν Ἀθήναις, — κείνῃ νυκτὶ ὁ Λέσβιος Ἑλλάνικος ἀείδει, Σὺν τῷ καὶ Δοῦρις, Τροίην ἑλέειν Παναχαιούς*, ubi quod sacerdos Argiva facta est Atheniensis, idem accidit Hesychio v. *Ἰὼ Καλλιθύεσσα, ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς*, fortasse etiam in v. *Ὑπερκάνστρα, ἡ τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια*[75]). De historia aerae Troianae et quo die Troiam expugnatam esse statuerint veteres accurate nuper disseruit Fischer in tabb. chronolog. Gr. p. 17.

7) et 8) Cydippe vel Theano. Sic tradunt appellatam fuisse sacerdotem illam ab Herodoto nobilitatam, Cleobis et Bitonis matrem, plurimi Cydippen, Suidas Theanonem[76]). Videntur inferiores scriptores cuius nomen reticuit Herodotus, ei ex catalogo sacerdotum quaesivisse nomen, eaque in re alteri alterum excitasse. Utramque verisimile est inter Ol. 40 et 50 sacerdotio functam esse.

9) Chrysidem nominat Thucyd. II, 2 de initio belli Peloponnesiaci, quod ortum esse dicit *ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης*, ut Chrysis sacerdotium inierit Ol. 75, 2 vel a. 479 a. Chr. Funestum hoc sacerdotium exitum habuit, v. Thucyd. IV, 133 *ἐν δὲ τῷ αὐτῷ*

σαι ἀπὸ τῆς κατὰ παιδείαν σκευῆς· οἱ γὰρ φάλητες (?) *οὕτω καλοῦνται.* Fortasse capitis aliquod indumentum erat, metallicum ac splendescens, quale significatur vocibus *φάλος, φάλαρα* etc., v. Schol. Il. *κ*, 258; *ν*, 132; Philem. p. 178 Osann; cf. Buttm. Lexil. II, p. 240 sqq. et qui docta commentatione eaque monumentis etiam priscae artis illustrata quaesivit de galea Graecorum, (ab Olénin) observations sur une note de l'ouvrage intitulé: Peintures de Vases antiques, Petrop. 1818. — Passov. in lex. *Φαλίδας* dictas censet a vestimento albo (*φαλός*).

75) Cf. Dodwell de cyclis p. 809. [Similis confusio *Ἀθηνᾶς* et *Ἥρας* apud Apollod. II, 1, 4, de qua v. Heynium p. 121 et Polemon. frgm. XI. *Ἀθηνᾶ* et *Κόρη* confunduntur apud Suid. *προχαριστήρια*, vid. Demeter et Perseph. p. 124 et Mueller kl. deutsche Schriften II, 256, not. 74] De die quo Troia expugnata sit cf. Aesch. Agam. v. 758 c. nota Klausenii et Boeckh. Corp. Inscr. Vol. II, p. 328 sq.

76) Cf. Vales l. c.; Baehr ad Herod. I, 31.

θέρει ὁ νεὼς τῆς Ἥρας ἐν Ἄργει κατεκαύθη, Χρυσίδος τῆς ἱερείας λύχνον τινὰ θείσης ἡμμένον πρὸς τὰ στέμματα καὶ ἐπικαταδαρθούσης, ὥστε ἔλαθεν ἁφθέντα πάντα καὶ καταφλεχθέντα· καὶ ἡ Χρυσὶς μὲν εὐθὺς τῆς νυκτὸς
45 *δείσασα τοὺς Ἀργείους ἐς Φλιοῦντα φεύγει· οἱ δὲ ἄλλην ἱέρειαν ἐκ τοῦ νόμου τοῦ προκειμένου κατεστήσαντο Φαεινίδα ὄνομα. ἔτη δὲ Χρυσὶς τοῦ πολέμου τοῦδε ἐπέλαβεν ὀκτὼ καὶ ἔνατον ἐκ μέσου, ὅτε ἐπεφεύγει.* Fugit Ol. 89, 2 vel 423 a. Chr., sacerdotio per 56 annos functa[77]). Aliud templum exstructum est, architecto Eupolemo Argivo, mox nobilissimo illo Polycleti signo clarum.

10) Phaeinis vel dorice Phaënnis. De hac nihil constat nisi sacerdotem factam esse Ol. 89, 2 vel a. 423. Ex posterioribus nulla nominatur. Verum apparet harum omnium memoriam servatam esse non tam propter ipsas quam propterea, quod Hellanicus suo opere effecerat ut haec nomina locum quendam in historia nacta essent; unde probabile opus Hellanici substitisse in hac, quae postrema nominatur; id quod cum ipsius aetate optime concinit, quam vidimus usque ad exitum saeculi quinti pertinere.

Post Hellanicum sacerdotes Argivas ad opus historicum adhibuit Heraclides Ponticus, in libro de musicis illustribus, cuius fontem Plutarchus de musica c. 3 fuisse dicit *τὴν ἀναγραφὴν τὴν ἐν Σικυῶνι ἀποκειμένην* (cf. c. 8), *δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τοὺς ποιητὰς καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει*, unde vulgo etiam Hellanicum commentarios Sicyoniorum, non Argivorum secutum esse tradunt[78]), quod falsum esse puto. Nam patet rationem illam annos numerandi ab Argivis ad Sicyonios translatam esse, quos primitus constat tempora descripsisse secundum sacerdotes Apollinis Carnei, quae ratio in recensu Car-
46 neonicarum, qualem Heraclides Sicyone investigasse videtur, longe convenientissima erat. Exstant in Eusebii ex Castoris chronicis excerptis (Chron. I, c. 25) septem horum sacerdotum

---

77) Accuratius Sch. Thucyd. l. c. *τὸ ὄγδοον ἐπλήρωσε, τὸ δὲ ἔνατον ἡμιτελὲς ἦν, ὥστε τὰ πάντα πεντήκοντα ἓξ ἥμισυ ἔτη διήνυσεν ἡ Χρυσὶς ἱέρεια*, cf. Thuc. II, 2. De templi conflagratione cf. Paus. II, 17, 7, qui addit haec, *καὶ Χρυσηῒς μὲν ἀπελθοῦσα ἐς Τεγέαν τὴν Ἀθηνᾶν τὴν Ἀλέαν ἱκέτευεν. Ἀργεῖοι δὲ καίπερ κακοῦ τηλικούτου παρόντος σφίσι τὴν εἰκόνα οὐ καθεῖλον τῆς Χρυσηΐδος· ἀνάκειται δὲ καὶ ἐς τόδε τοῦ ναοῦ τοῦ κατακαυθέντος ἔμπροσθεν.*

78) Marx in Ephoro p. 77, Goeller Tim. p. 196, alii. De sacerdotibus Apollinis Carnei v. qui supra citantur p. 36 not.

nomina, quorum postremus Charidemus secundum canonem Eusebii incidit in annum 921 post Abraham h. e. in annum 85 post Troiam excisam. Narrant eum deseruisse munus suum *οὐχ ὑπομείναντα τὴν δαπάνην*: vera ratio erat, quod Sicyone ab Argivis Doriensibus expugnata antiquior illa annorum descriptio relicta est proque ea Argivorum illa inducta, quam ut Dorienses non solum non relinquerent sed impensius etiam colerent fecit, quod Herculis fabula et Heraclidarum gloria cum Iunonis religione coniunctissima erat. Sicyon expugnata est a Phalce, Temeni filio, idemque sacra Iunonis, per quam vicisse Sicyonios putabatur, novo templo exstructo concelebravit, v. Paus. II, 11, 2.[79]) Reditum Heraclidarum ponunt in annno octogesimo post Troica h. e. in tertio ante fugam Charidemi, postremi sacerdotis Apollinis Carnei[80]), ut apertissime pateat mutationem illam sic ut dixi factam esse; unde simul existimari potest, ab reditu Heraclidarum si non traditionem litteratam, tamen memoriam satis certam apud Graecos obtinuisse.

Postremus quem scimus ad sacerdotes Argivas ratione chronologica respexisse est Timaeus Siculus, in temporum notatione ille accuratissimus inque monumentis singularum civitatum scrutandis diligentissimus. Scripsit opus de Olympionicis, quo Ephoros cum regum Lacedaemoniorum serie et Archontes Athenienses atque sacerdotes Argivas cum Olympionicis contulit[81]), optimamque sic illam Olympiadum numerandarum rationem prae- 47
paravit, quam deinde secuti sunt omnes. Hoc ipso maxime factum puto ut opus Hellanici antiquaretur atque oblivioni daretur; neque in ipsis Argivorum rebus antiqua ratio servata est, postquam Castore maxime auctore pro sacerdotibus inducti sunt

---

79) Memorantur ibi duo Iunonis templa, quae ambo ab Argivis repetebantur, alterum ab Adrasto exsule (c. 6, 3), alterum a Phalce, qui dedicaverat hoc templum *τῆς ὁδοῦ οἱ τῆς ἐς Σικυῶνα Ἥραν φάμενος ὁδηγὸν ἔσεσθαι*. De Phalce v. Mueller Aeginet. p. 40, Dor. I, p. 79.

80) Castor ab Charidemo ad primam Olympiadem numerat annos 352, qua in re aliam rationem sequitur atque canon Eusebii, qui Charidemum ponit a. 318 ante Ol. I fugisse, v. Scaliger animadv. ad Euseb. p. 55 a.

81) Polyb. Excerpt. p. 1395 ed. Gronov. *ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν Ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς Ὀλυμπιονίκας καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον οὗτός ἐστι, καὶ μὴν ὁ τὰς ὀπισθοδόμους στήλας καὶ τὰς ἐν ταῖς φλιαῖς τῶν νεῶν προξενίας ἐξευρηκὼς Τίμαιός ἐστιν*. Cf. Goeller in Timaeo p. 196 sqq. et Polemo noster p. 70; 187.

reguli Argivorum atque Sicyoniorum, ad imitationem Atheniensium atque Spartanorum compositi. Nihilominus tantum valuit tum rei vetustas tum Hellanici auctoritas, ut etiam apud Eusebium vestigia nonnulla priscae illius descriptionis deprehendantur, rara sacerdotum nomina, inter ceteras temporum notationes passim apposita.

Superest ut de singulis, quotquot ex Hellanici Sacerdotibus supersunt, locis ita disputetur, ut secundum ordinem temporum disponantur. Liber primus citatur quater: 1) ap. St. B. v. *Σίπυλος*, quae notatio spectat historiam Tantali vel Niobae h. e. tempora Proeti Argivi, Erechthei Attici. 2) ap. Constant. Porphyrog. Them. II, 2 de Macedonia a Macedone appellata, *ὡς Μακεδόνος Αἰόλου, οὗ νῦν Μακεδόνες καλοῦνται, μόνοι μετὰ Μυσῶν τότε οἰκοῦντες*, v. Muell. Dor. I, 4; Maced. p. 38. Deucalionis filii respondent regno Amphictyonis Attici, pronepos cadit in tempora Pandionis I vel Erechthei, inter Argivos Lyncei; ut res ad sacerdotium Hypermnestrae pertinere videatur. 3) ap. St. B. v. *Φαίαξ ὁ Ποσειδῶνος καὶ Κερκύρας τῆς Ἀσωπίδος, ἀφ᾽ ἧς ἡ νῆσος Κέρκυρα ἐκλήθη*, cuius rei tempora definire proclive est. 4) ap. St. B. v. *Νισαία, ἐπίνειον Μεγαρίδος καὶ αὐτὴ ἡ Μεγαρίς, ἀπὸ Νίσου τοῦ Πανδίονος.*
48 *Ἑλλ. ἐν ἱερειῶν πρώτῳ· καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ*[82]*· καὶ Νισαίαν εἷλε καὶ Νίσον τὸν Πανδίονος καὶ Μεγαρέα τὸν Ὀγχήστιον*, ubi in extremis supplendum nomen Minois, cuius expeditio adversus Megarenses circa ea tempora poni solet, quibus Phalidum successio sacerdotium Iunonis auspicata est, ut ab illis librum alterum incepisse suspiceris; sed repugnat locus de Siculis, de quibus dictum erat libro secundo, auctore Steph. B. v. *Σικελία ἡ νῆσος Σικανία πρότερον ὠνομάζετο, εἶτα Σικελία ἐκλήθη, ὡς φ. Ἑλλ. ἱερειῶν τῆς Ἥρας β'.* Constat vero hanc rem narratam fuisse in sacerdotio Alcyonae, cui successit Admeta, v. Dionys. H. A. R. I, 22, cuius loci partem priorem laudavi p. 41. Sequuntur haec: *δύο γὰρ ποιεῖ στόλους Ἰταλικοὺς διαβάντας εἰς Σικελίαν, τὸν μὲν πρότερον Ἐλύμων, οὕς φησιν ὑπὸ Οἰνώτρων ἐξαναστῆναι, τὸν δὲ μετὰ τοῦτον ἔτει πέμπτῳ γενόμενον Αὐσονίων Ἰάπυγας φυγόντων. βασιλέα δὲ τούτων ἀποφαίνει Σικελόν, ἀφ᾽ οὗ τοὔνομα τοῖς τε ἀνθρώποις καὶ τῇ νήσῳ τεθῆναι.*

---

82) Vulgo, etiam ap. Westerm., editur *ἐπ. Μεγαρίδος. καὶ αὕτη ἡ Μ. — Ἑλλ. ἐν ἱερ. πρώτῳ καὶ ἐν τ. δ.* In priore libro Megaridis Nisaeae iam meminerat; in secundo narrabatur de Niso et Minoe.

Libro secundo praeter haec tribuendum 3) fragmentum de Troia expugnata in plenilunio, d. XII Thargelionis, sacerdote Callistone, v. p. 44. Adde 4) St. B. v. *Χαιρώνεια·* — *λέγεται δ' οἰκιστὴν γενέσθαι τοῦ πολίσματος Χαίρωνα· τοῦτον δὲ μυθολογοῦσιν Ἀπόλλωνος καὶ Θηροῦς, ὡς Ἑλλ. ἐν β' ἱερειῶν Ἥρας*[83]). De Therone vel Thurone v. Paus. IX, 40, 3 cum nota Siebelisii et Muell. Orchom. p. 148. Muellerus Chaeroneam arbitratur a Minyis conditam esse; sed traditur illa regio antiquitus Arne vocata esse (*ἐκαλεῖτο δὲ ἡ πόλις καὶ Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον*, Paus.), unde mihi verisimilius Boetos eius colonos fuisse, quorum migratio cadit in a. 60 post Troica. — 5) St. B. v. 49
Φρίκιον, ὄρος ὑπὲρ Θερμοπυλῶν Λοκρικόν, ἀφ' οὗ Φρίκανες καὶ Φρικανεῖς οἱ αὐτόθι οἰκήσαντες, ὡς Ἑλλ. ἐν ἱερειῶν Ἥρας β'. Quae sine dubio pertinent ad narrationem de Aeolium in Asiam profectione, qui ad Phricium antea habitabant, unde Cyme Phriconis dicta, v. Strab. XIII, p. 621. 6) St. B. v. *Χαλκίς.* — *Ἑλλ. ἱερειῶν Ἥρας δευτέρῳ· Θεοκλῆς ἐκ Χαλκίδος μετὰ Χαλκιδέων τὴν Ναξίων ἐν Σικελίῃ πόλιν*[84]) *ἔκτισε*, quod factum est anno ante Syracusas conditas, sec. Marm. Par. Ol. 5, 3, sec. Euseb. Ol. 11, 3. Haec res novissima est ex iis, de quibus liber secundus adhibetur; sed retuleris eodem quae exstant ap. St. B. v. *Γέλα.* — *Ἑλλ. ἀπὸ Γέλωνος τοῦ Αἴτνου*[85]) *τοῦ Ὑμάρου*, quae ad eandem de primis Siciliae colonis narrationem pertinere videntur, licet obscurum sit de quonam Gelone loquatur. Denique Hellanico vindicanda videntur quae leguntur ap. Dionys. A. R. I, 72[86]) *ὁ δὲ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα συναγα-*

---

83) Sequentia falso tribui Hellanico vidit Muellerus Orchom. p. 416 not. 5. Mihi *λέγεται* — *εἶλον* Aristophanis *ἐν Βοιωτικῶν δευτέρῳ* esse videntur, qui adhibuerit testimonium Hellanici. Pro *ἐπὶ Ὀρχομενοῖς* Muell. scrib. c. *ἐφορμώμενοι.* Facilius erat *ἐπερχόμενοι.* Sequentia sunt Pausaniae, cuius nomen excidit.

84) Sic legendum coniecit Cluverius, quum vulgo edatur *μετὰ Χαλκιδέων καὶ Ναξίων ἐν Σικελίᾳ πόλεις.* Cluverii emendatio maximam partem confirmatur cod. Vratisl., qui habet: *καὶ Ναξίαν ἐν Σικελίῃ πόλιν ἔκτ.* De re cf. Boeckh. C. I. II, p. 335; Fischer tabb. chronol. Gr. in Ol. 11, 1 et 3.

85) Cluv. vol. *τῆς Αἴτνης.* Sed in Voss. et in Vratisl. prima manu est *τοῦ Αἴτνου*, et Salmas. in Palatt. esse testatur *τοῦ Αἴτνου τοῦ Ὑμάρου.* Gelo ille fortasse idem est cum eo, quem significat Herod. VII, 153 *τοῦ δὲ Γέλωνος τούτου πρόγονος οἰκήτωρ ἐὼν Γέλης*, qui ceteris tamen omnibus appellatur Antiphemus, v. Thuc. VI, 3 c. nott. intpp.

86) Ex hoc ap. Euseb. Chron. I, 45, p. 207 nov. collect. Mai. et Syncell. Chronogr. p. 192.

γὼν Αἰνείαν φησὶν ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς πόλεως, ὀνομάσαι δ' αὐτὴν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἰλιάδων Ῥώμης· ταύτην δὲ λέγει ταῖς ἄλλαις Τρῳάσι παρακελευσαμένην κοινῇ μετ' αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰ σκάφη, βαρυνομένην τῇ πλάνῃ· ὁμολογεῖ δ' αὐτῷ καὶ Δαμάστης ὁ Σιγειεὺς καὶ ἄλλοι τινές: quae Sturzius p. 152 sine ulla dubitatione tribuit Nostro [87]). Neglexit Scaligeri notam ad Festum p. 633 Lindem., qui putat Heraclidem Lembum in illis excerptum esse, quem de eadem historia citant Festus l. c. et Solinus c. 1; similiterque iudicasse videtur Niebuhrius R. G. I, p. 202 ed. 3ae. Verum Scaliger, sicut omnino Hellanici non eam quam in Chronicis debebat rationem habuit, ita hoc etiam in loco non meminit opinor eius, ideoque Heraclidi tribuit quae Hellanico dabit quicunque de opere eius compertum habuerit; qua in re id quoque aperte falsum est, quod in τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα supplendum esse affirmat χώραν. Fortasse etiam Heraclidem Lembum, quem Sacerdotum recensum edidisse nemo tradidit, confudit cum Heraclide Pontico, qui eum recensum adhibuit quidem, sed in rebus ab originibus Romae prorsus diversis. Adde quod Damastes cum auctore illo conspirasse dicitur, quod nisi de Hellanico, quocum Damastes haud semel citatur, non video de quonam potuerit dici. Porro ne putes Hellanicum antiquiorem esse quam qui urbis Romae meminerit, constat etiam Antiochum Syracusanum eius mentionem iniecisse, v. ap. Dionys. H. A. R. I, 73, ἀνὴρ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς, Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Denique quod quis moneat, Hellanicum sibi ipsi repugnare, qui in Troicis (v. supra p. 21) Aeneam ad Crusaeos pervenisse tradiderit, id sic expedias, ut hoc opus post Troica et postquam fabulas Italicas in ipsa fortasse Italia cognoverit editum fuisse statuas. De ipsa fabula v. Klausen Aeneas I, p. 418.

Tertius liber semel adhibetur, ap. St. B. v. Χαονία. — Ἑλλ. ἱερειῶν Ἥρας τρίτῳ· Ἀμβρακιῶται καὶ οἱ μετ' αὐτῶν Χάονες καὶ Ἠπειρῶται: ubi mihi non dubium quin sermo sit de bello inter Acarnanes atque Ambraciotas gesto Ol. 87, 4, a. 429 a. Chr., v. Thucyd. II, 80 τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων Ἀμβρακιῶται καὶ Χάονες βουλόμενοι Ἀκαρνανίαν πᾶσαν καταστρέψασθαι κτλ. — ἐστρατεύοντο δὲ μετὰ Χαόνων καὶ Θεσπρωτοὶ ἀβασίλευτοι κτλ.:

---

87) [Etiam Klausen Aeneas II, 567 et Grotefend zur Geschichte und Geogr. von Alt-Italien I, 22 Hellanico haec tribuunt].

quae res incidit in sacerdotium Chrysidis. Sequitur ut tres tan-
tum huius operis libri fuerint, quorum primus complectebatur
tempora fabulosa, alter migrationes potissimum atque colonias 51
exposuisse videtur, tertius ad ipsius Hellanici aetatem et sacer-
dotia Chrysidis atque Phaennidis deductus erat. Plurimum vero
operae etiam his in libris in fabulis atque generibus enarrandis
positum fuisse suspicere.

b. Carneonicae.

Quod in civitatibus factum, idem in certaminibus gymnicis atque musicis obtinuit; recensus victorum temporibus certa serie descriptis conditi sunt eosque deinde operibus suis fundamento posuerunt historici, quorum operum multa pertinuerunt ad historiam artis musicae, v. Mueller. Dor. I, p. 130. Sic inter recentiores Dicaearchus et Heraclides Ponticus, inter antiquiores Hellanicus, qui in hoc usus erat tabulis Spartanorum, quibus victores Carneorum perscripserant inde ab Ol. 26. — Citatur hoc opus ap. Athen. XIV, p. 635 *E τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλ. ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις κἀν τοῖς καταλογάδην.* De re cf. Plehn Lesb. p. 141—165. Cetera Vossius aliique de carmine, quibus Hellanicus Carneonicarum virtutes celebraverit, interpretantur; Sturzius illa verba *ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις* cet. ad Terpandrum refert, quod nemo non videt frigidum esse. Etiam Suidas v. *Ἑλλάνικος* eum plurima pedestri sermone, sed nonnulla *ποιητικῶς* scripsisse testatur, ut dubium non sit quin carmen de Carneonicis sub nomine Hellanici apud recentiores circumlatum sit et praeter id prosaica de eadem re commentatio, quam ego genuinam fuisse crediderim, ut alterum illum librum grammaticus aliquis, ut amabat Alexandrinorum aetas carmina docta atque didactica pangere, ad imitationem Hellanici elaboraverit. Praeter illum locum idem opus adhibetur ap. Schol. Arist. Av. v. 1403 (ubi pro *Κραναικοῖς* scribendum esse *Καρνεονίκαις* vidit Cordes ap. Dahlm.[88]), de Arione Methymnaeo chororum cycliorum conditore.

Haec hactenus de singulis Hellanici operibus, quibus in per- 52
sequendis simul illud mihi nactus esse videor, ut quid in univer-
sum de Nostro iudicandum videatur, quem inter historicos lo-
cum habeat, quid meruerit, quid imperfectum reliquerit, magis

88) [Cf. Schneidewin de Laso Hermionensi pg. 11].

dehinc in aperto sit atque ad cognoscendum expeditum. Restat ut quae eius ad Herodotum ratio sit et quid inferior aetas de eo existimaverit paucis examinem. Qua in re iam primum de Herodoto difficillimum est pronuntiare quidquam. Hellanicum aetate paulo iuniorem illo esse supra demonstratum est, neque hoc inde refutari potest, quod Nostrum nonnunquam inter antiquiores numerant, velut ap. Dionys. Hal. ad Cn. Pomp. c. 3. *οὐ μὴν Ἡρόδοτός γε τοῦτ᾽ ἐποίησεν, ἀλλὰ τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων γενομένων Ἑλλανίκου τε καὶ Χάρωνος τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. προεκδεδωκότων, οὐκ ἀπετράπετο κτλ.*: quod fecerunt ut ego opinor partim propterea, quod Hellanicus antiquiorem historiae conscribendae rationem secutus ipse antiquior esse videretur, partim quia singula Hellanici scripta maturius divulgata fuerint quam opus Herodoti, quod sicut unum est ex multis partibus constans, ita non poterat nisi ab absoluto artifice ac sene absolvi. Atqui haec ipsa causa est cur Hellanicum Herodoto usum esse supra negaverim et usque negandum putem; qui si Herodoti libros usurpasset nihiloque secius sic scripsisset ut scripsit, mirum in modum stupidus fuisset. Potius dicas Herodotum Hellanico usum esse, quamquam etiam illud non potest probari, ut verisimillimum putem cum Dahlmanno et Baehrio in Herodoto Vol. IV, p. 398 „et Hellanicum et Herodotum ita scripsisse, ut neuter alterius scripta cognita habuérit.“ Quod ad ceteros historicos attinet vidimus Thucydidem Nostrum dignum habuisse quem subinde respiceret, v. p. 26, ubi quod dicit Hellanicum in temporibus negligentem fuisse, noli hoc in universum interpretari; loquitur Thucydides nonnisi de *πεντηκονταετίᾳ*. Chronologica eius merita si nulla esse putasset, computationis illius, quam Hellanicus introduxerat, rationem non habuisset, quod fecit iden-
53 tidem, v. p. 44. Neque veri absimile etiam ceteris in rebus Hellanici libros ab eo subinde consultatos esse, velut Dahlmannus (p. 225) arbitratur in narratione de Cylone non Herodotum respici, sed Nostrum. Recentiores, qui fabulas a Thucydide prorsus reiectas historiae denuo vindicabant, Ephorus maxime atque Theopompus, multum de Hellanico superciliose iudicaverunt. Inscienter eum fabulis usum esse dictitabant; scilicet illa aetas sophistarum atque rhetorum disciplina recens imbuta erat variasque interpretamentorum argutias poscebat, civili prudentia dicendique floribus ornatas, prae quibus incomta illa logographorum simplicitas contemnebatur. Induxit superbientem illam maledicentiam Theopompus Chius, quem Strabo I, p. 430 narrat professum esse *ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖτ-*

τον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος καὶ οἱ τὰ Ἰνδικὰ συγγράψαντες[89]). Similiter Ephorus, qui Nostrum dixit *ἐν τοῖς πλείστοις ψευδόμενον*, v. Ioseph. c. Apion. I, p. 1034 G, quae iniquitas in ipsum vertit, ut qui in eandem apud alios criminationem incucurrerit, v. Diod. I, 39. Ceterum non is ego sum, qui dignitatem Hellanici ultra meritum augere velim; contra saepe monuimus in historia quae vere appellatur laudem eius perparvam esse, praeterquam quod primus ad sua tempora descendere conatus sit. Neque in geographia prae ceteris meruit; multa nomina perscripsit, unde factum ut persaepe a Stephano Byzantio adhibeatur; sed negligentiae identidem accusatur a Strabone; neque artem illam terrarum spatia describendi, tabulas pictas atque delineationes addendi excoluit, qua ante eum ma- 54
xime iam inclaruerat Hecataeus Milesius[90]). In chronologia suum nomen habebat, sed id ipsum caducum.

---

89) Notabile vero iam apud Hellanicum eius studii vestigia reperiri, quod postea in pragmaticorum illa commenta vertit, veluti in Troicorum fragmento p. 20, quod patet interpretationem Homeri continere Il. *φ*, 233 sqq. Similiter Herodotus in iis, quae de Helena comminiscitur. Ceterum vere Muellerus Dor. II, p. 470, dass, wenn der einfache Pherekydes sich strenger an die alten Dichter hielt und etwa nur um des Zusammenhangs willen hier und da eine Lücke ausfüllte, Hellanikos schon mit grösserer Freiheit den Mythus der Historie und der Geographie anzupassen suchte.

90) Agathem. I, 1. *Ἑλλάνικος γὰρ ὁ Λέσβιος ἀνὴρ πολυΐστωρ ἀπλάστως παρέδωκε τὴν ἱστορίαν.* De Hecataeo omnique tabularum geographicarum apud veteres arte enucleatissime nuper Reinganum, Gesch. der Erd- und Länderabbildungen der Alten, Jena 1839. 8.

INDEX RERUM ET LOCORUM.

stant, recensus p. 40—45; interpretatio operis sculpti Musei Albani p. 42; Phalides unde dictae p. 43; Heraclides Ponticus de musicis illustribus p. 45; tempora apud Sicyonios primum secundum sacerdotes Apollinis Carnei, post reditum Heraclidarum sec. sacerdotes Iunonis Argivae notata p. 45; Timaei Siculi de chronologia merita p. 46; operis Hellanici fragmenta p. 47—50; Hellanicus de originibus Romae p. 50); b) Carneonicae p. 51. — Hellanici ad Herodotum ratio p. 52; Ephori et Theopompi de Hellanico iudicia p. 53.

Emendantur vel explicantur: Schol. Il. φ, 242 p. 20; Schol. Eur. Or. v. 1643 p. 23; Strabo XIII, p. 602 p. 21; Steph. Byz. v. *Γέλα* p. 49; *Νισαία* p. 48; *Χαιρώνεια* p. 48; *Χαλκίς* p. 49.

SPÄTERE ZUSÄTZE DES VERFASSERS IN DEUTSCHER SPRACHE.

Zu pg. 5. Ein Hellanicus kömmt unter den Begleitern des Alexander bei Curtius vor. Er könnte die *ἀνάβασις εἰς Ἄμμωνος* geschrieben haben.

Zu pg. 7, lin. 1. Viele dieser Völker konnten episodisch, namentlich in den Persicis, besprochen worden sein und sind nicht so ohne Weiteres zu verwerfen.

Zu pg. 11. Für *Διὸς πολυτυχία* könnte man vielleicht lesen *πολυμυχία* nach Analogie des *Ἑπτάμυχος* von Pherekydes (Vgl. C. Müller in den fragm. histor. graec. I, pg. XXXI. K.)

Zu pg. 14, lin. 1. Wahrscheinlich nach Ephoros, der die Unterscheidung zwischen vor und nach dem Heraklidenzuge überhaupt erst eingeführt und kritisch durchgeführt hatte. Uebrigens sieht man aus dieser Stelle, dass Hellanikos seine topographischen Untersuchungen an Homer angeschlossen hatte. Gewiss wurde hier zugleich die Sage von Meleager und den beiden Häusern von Kalydon ausführlicher besprochen; vgl. bei Apollodor.

Zu pg. 15, lin. 7. Steph. Byz. *Βεμβῖνα κώμη τῆς Νεμέας. Ἑλλάνικος δὲ Βέμβινον καὶ πόλιν φησίν.* Vgl. Unger Parad. Theb. I, 210.

Zu pg. 21, not. 34. *θυμός* scheint allerdings vorzuziehen. Es ist ein Bezug auf Homer Ilias 15, 94 darin: *οἷος ἐκείνου θυμὸς ὑπερφίαλος καὶ ἀπηνής.*

Zu pg. 22. Die Stätte des alten Ilion war durch Verschleppung des alten Baumaterials bald gänzlich unkenntlich geworden. In lydischer Zeit wurde zuerst eine Ansiedlung vorgenommen, wo Alexander der Grosse und Lysimachus dann später Neu-Ilion zur Stadt erhoben. Diesen Neu-Iliern d. h. den Bewohnern des unter lydischer Herrschaft neu erbauten Ilion hätte also Hellanikos damals geschmeichelt. Er konnte übrigens diese Gegenden um so besser kennen, da von Lesbos aus dort eine Menge Ansiedlungen gemacht waren. Ja die Mytilenäer hatten nach Strabon bis zur lydisch-persischen Zeit über ganz Troas geherrscht.

Zu pg. 30. Auf die Persica des Hellanikos kann sich beziehen Xenophon Cyrop. VIII, 5, 28: *(Κῦρος) γαμεῖν τὴν Κυαξάρου θυγατέρα· ἧς ἔτι καὶ νῦν λόγος ὡς παγκάλου γενομένης. ἔνιοι δὲ τῶν λογοποιῶν λέγουσιν, ὡς τὴν τῆς μητρὸς ἀδελφὴν ἔγημεν. ἀλλὰ γραῦς ἂν καὶ παντάπασιν ἦν.*

Zu pg. 43, not. 74. *λόμβαι* wahrscheinlich ein eigenthümlicher Kopfputz oder dgl. *ἀπὸ τῆς κατὰ παιδείαν σκευῆς* heisst nichts andres als 'von dem scherzhaften, sonderbaren Anzuge'. *φάλητες* sind Phallen.

III.

QUAESTIONES DE HISTORIA GRAMMATICAE BYZANTINAE, ADIECTIS INEDITIS HAMBURGENSIBUS.

(Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre prius anni MDCCCXL habendarum. Dorpati, ex officina academica I. C. Schünmanni. 4°.)

Scholiis in Odysseam superiori anno a me publicatis iam 1
alias res consimiles submittere placet, ex codice Hamburgensi item depromptas, coniunctas cum commentationibus de historia grammaticorum Byzantiorum, quo tractatione illius codicis deferebar. Nam continetur eo grammatica Dionysii Thracis cum multis appendicibus variisque aliorum grammaticorum, Theodosii, Choerobosci, Porphyrii etc. tractatibus. Grammaticam inde primum edidit Fabricius in Bibl. Gr. Vol. VI, p. 311 ed. Harl., deinde in Anecdotis suis hoc codice usus est Imm. Bekkerus, cf. Anecd. Gr. Vol. II, p. 629—972 coll. Vol. III, p. 1137. Ego primum nihil volebam nisi in ipso codice legere quae vulgo tractantur in recensione Bekkeri; deinde animadvertebam neque omnia apud Bekkerum reperiri, et ipsa edita prorsus immutato ordine atque in Ms. leguntur concepta esse; qua in re consuluit vir eximius commoditati legentium, historiae vero librorum atque grammaticorum istorum ex editis eruendae magnopere obfecit. Neque vero tunc sic vigebant ea studia, quibus nunc a multis opera navatur, historiae criticae grammaticorum graecorum condendae, quod opus desideratissimum utilissimumque ad omnem litterarum graecarum tractationem futurum antequam poterit absolvi, multa passim a multis laboriose congerantur oportet, multum fontium fastidium exantletur, multae minutiae ex abditissimorum librorum diverticulis excitentur. Nunc, quod pertinet 2

ad disciplinam Alexandrinam, egregie quidem hoc opus inchoatum est, sed restant tempora inferiora, quibus floruit Herodianus, quae nondum curatius a quoquam tractata sunt, restant successiones Byzantiorum illorum, quos supra nominavi, de quibus mira apud plerosque confusio atque ignorantia est, ut susque deque habeantur quae sunt diversissimorum temporum, nominumque fallaciis, quae dominantur in his litteris, iudicium fere nullum adhibeatur. Meliora exorsus est Goettlingius in praefatione Theodosii; nuper multa passim de his scriptoribus contra Blochium monuit Henrichsen Soranus in scriptionibus de pronuntiatione Reuchliniana et de versu politico, eundemque scio parare commentationem de Choerobosco. His denique adiiciatur hocce meum, quantulumcunque est, opusculum, quo inprimis agetur de Theodosio Alexandrino, ex interpretibus Dionysii facile antiquissimo. Sed attingentur etiam alia illius aetatis nomina, multorumque libris vel additamenta vel emendationes fide codicis Hamburgensis adiicientur; de quo codice, antequam progrediar, accuratius dicendum est.

Est chartaceus, formae maioris, paginarum 398, apographum Lucae Holstenii Hamburgensis, qui, cum in Italia vivebat munereque custodis bibliothecae Vaticanae fungebatur, multos sibi codices describendos curavit, quorum apographorum egregiam copiam legavit patriae, v. Petersen Gesch. d. Hamburg. Stadtbibl. p. 32. Continentur eo deinceps haec: 1) p. 1—4 Prolegomena minora grammaticae, excerpta ex maioribus, quae sequuntur p. 33; 2) p. 4—6 conspectus litterarum, compendium doctrinae accentuum, finitio notionis *τέχνης*; 3) p. 6—15 grammatica Dionysii; 4) p. 15—29 quaestiones variae generis prosodiaci et orthographici, quae maximam partem repetuntur ab Arcadio Barkeri et Theodosio Goettlingii; 5) p. 33—278, 325—359 Scholia maiora grammaticae Dionysii, a Bekkero edita; 6) p. 359 —363 Herodiani tractatus *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ περὶ σολοικίας*, editus a Valckenario; 7) p. 289—296 *Θεοδοσίου*
3 *περὶ ὅρου*, excerpta ex iis, quae edidit Goettlingius; 8) p. 297
—320 *Θεοδοσίου γραμματικοῦ Ἀλεξανδρέως περὶ προσῳδιῶν*, scholia minora in Dionysium, infimae aetatis, a Bekkero passim excerpta in Anecd. Gr. Vol. III.; 9) p. 369—384 *Γεωργίου γραμματικοῦ τοῦ Χοιροβοσκοῦ περὶ γραμματικῆς*, idem tractatus qui in aliis codicibus tribuitur Theodosio, cuius partem edidit Osannus Philem. p. 303 et Goettlingius Theodos. p. 202; 10) p. 385—393 Arcadii liber XVI, in epitomen redactus per Constantinum Lascarin. — Fontem Holstenii

si quaeras, Bekkerus putat eum usum esse cod. Vaticano, quem ipse notat No. 14, quo maxime utebatur, adiicitque Vaticanum tum lectu faciliorem fuisse videri. Ipse Holstenius in epistolis opera Boissonadii editis Paris. 1817 nihil de his studiis commemorat. In commentario ad Steph. Byz. p. 329ᵇ dicit exstare in Vatic. bibl. „Dionysii Thracis grammaticam cum diversorum veterum explicationibus“, indeque laudat fragmentum Susarionis (in schol. Dionysii ap. Bekk. Anecd. p. 748), sed discrepantibus ab iis, quas praebet apographum Hamburgense, lectionibus. Porphyrii de prosodia libri meminit in commentationibus de vita et scriptis Porphyrii c. 7: „Liber de prosodia, qui sub eius nomine exstat in Vatic. bibl. cod. 212, elegantissima sed recenti manu scriptus.“ Eundem habes in apographo p. 60, ubi in margine adnotantur haec: „In Vatic. 240, in Palatino 70“ (de hoc v. Bekk. Anecd. p. 1140), alioque loco p. 297 de libro Theodosii *περὶ προσῳδιῶν* margo monet: „Ex Ms. Lolliniano Vat. bibl., collatum cum codice F. Ursini, qui est in Vat. 1356“ (de quo v. Bekk. Anecd. p. 1161); cui notae respondent haec p. 320, ubi supplementum illius libri exhibetur: „Hoc supplementum ex cod. ms. Vat. 1356.“ Unde sequitur non unum, sed plures codices Vaticanos saltem de his duobus libris consultatos esse; idemque in ceteris factum cernitur ex eo, quod margo fere per omnia folia notas varias atque emendationes praebet, et in fronte voluminis indici eorum quae descripta sunt subiiciuntur haec: „Omnia inedita et cum Ms. Fulvii Ursini collata.“

§ 1. 4

De origine grammaticae Dionysii. Adiiciuntur lectiones variantes.

Grammatica Dionysii unde originem duxerit neque apud antiquiores interpretes constabat neque recentioribus ratum est. Vulgo tribuebatur Dionysio Thraci; sed dissentiebant nonnulli, v. Schol. p. 672, 10 Bekk. *θέλουσιν οὖν τινὲς μὴ εἶναι γνήσιον τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα*, quorum argumenta expromuntur ib. vs. 30, aliter Dionysium Thracem definire verbum (*ῥῆμά ἐστι λέξις κατηγόρημα σημαίνουσα*), aliter grammaticam (*ῥῆμά ἐστι λέξις ἄπτωτος, ἐπιδεκτικὴ χρόνων τε καὶ προσώπων καὶ ἀριθμῶν, ἐνέργειαν ἢ πάθος παριστῶσα*). Quam dubitationem ampliavit Goettlingius in praef. Theodosii p. V sq., qui monet neque de pronominis definitione conspirare utrumque, coll. Dionys. Thr. ap. Apollon. de pron.

p. 4 ed. Bekk. et Gramm. p. 640. [Cf. Lehrsii analecta grammatica p. 13 sqq.] Nihilominus solent etiam nunc qui utuntur grammatica Aristarcheum Dionysium appellare, velut Osannus praef. p. XIV, Classen de primord. gramm. gr. p. 81 sq., Schmidt doctr. tempp. verbi gr. et lat. Part. I, p. 17, Lersch Sprachphil. der Alten p. 78; et audio vindicem Aristarchei exstitisse Schoemannum in praef. ind. lectt. Gryphisv. 18$\frac{32}{33}$. Cuius scriptio cum non ad manum sit, nolo rem diiudicare; sed malim sequi sententiam Goettlingii, opus conditum esse fere iisdem temporibus quibus Constantinus M. urbem suam ornaverat collegio doctorum oecumenicorum, ad similitudinem quandam Musei Alexandrini instituto, de quibus praeter Goettlingium v. Bernhardy Grundriss der Griech. Litt. I, p. 472. Qui doctores cum inter alias disciplinas etiam grammaticam traderent, antiquiorum grammaticorum sine dubio vestigia tenuerunt, verum ita, ut non solos Aristarcheos sequerentur, sed Stoicos [1]) etiam, qui multis ab illis dissentiebant, maxime definitionibus et divisionibus artis quam ipsi appellabant, cum Aristarchei contenderent grammaticam nil nisi ἐμπειρίαν esse. Cuius dissensionis cum multa vestigia sint apud interpretes grammaticae, tum videtur neque ipsius grammaticae conditor utros sequeretur in explorato habuisse, siquidem in ipso exordio operis grammatica primum ponitur esse ἐμπειρία, deinde vero leguntur haec, ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι τῶν ἐν τῇ τέχνῃ, quibus patet grammaticam subiici Stoicae isti notioni artis. Accedit quod nulla huius grammaticae apud antiquiores [2]) mentio est, constat vero Byzantios a primis temporibus usque ad ultima ea sola tanquam fundamento usos esse, ut illuc referrent quicquid in grammatica saperent, prolegomenis, scholiis, appendicibus variis adiectis, quae grammatica illa tanquam centro suo comprehenduntur. Sic mirum illud corpus grammaticum conditum est, quod multorum codicum fide ad nos pervenit; quod Bekkerus edidit membris magis discerptis, quam ad historiae ob-

1) Nuper de his prodiit liber Schmidtii, [Stoicorum grammatica, Halis 1839,] qui nondum ad me pervenerat.

2) Mirum quod scribit Schoell. Gesch. d. Gr. Litt. ed. Pinder Vol. II, p. 554, ubi agit de Dionysio Thrace: Er schrieb die erste Grammatik, τέχνη γραμματική, ein gleich bei seinem Erscheinen für classisch anerkanntes Werk, welches nachmals von alexandrinischen Gelehrten öfters commentirt worden ist. Cogitavit de Theodosio Alexandrino, qui tamen, etiamsi fuerit Alexandriae oriundus, aetate tamen atque successione sua Byzantiis adnumerandus est, minime Alexandrinis.

servationem dispositis. Sed de his videbitur mox. Nunc augebo varietatem Bekkeri Anecd. p. 1127—1136. In grammatica p. 629, 22 apogr. Hamb. habet *καταριπτεῖ*. 630, 27 *μέχρι τοῦ ω̄ μεγάλου*. 30 *ἄχεαι*. 631, 4 *ε̄ ψιλὸν καὶ ὁ μικρόν*. 632, 24 *πᾶς*, non *κάρ*. 31 H. ut F. 633, 21 H. ut F. 27 *ἔχει*. 634, 6 H. om. *ἡ γὰρ — ὑποβέβληται*. 18 *ἵππος*, non *ἵπποις*. 635, 10 *καθαρῶν* et deinde *καλλίων*, *κρείσσων*, *ὁ εἰς σω̄ν*, *οἷον ἥσσων*. 24 *Φιλιππείδης*. 636, 16 H. ut F. 32 H. om. *Τισαμενὸς καί*. 637, 22 *ἰδικόν*. 638, 19 *καὶ τρίτον*. 639, 14 *αι̅* pro *ᾳ*. 640, 31 om. *δὲ* ante *ἐμέ*. 6
642, 15 H. ut F. 16 H. ut F. 30 *τὴν μὲν γὰρ φράσιν*.

§ 2.

De antiquissimis prolegomenis grammaticae, a Theodosio vel Choerobosco conceptis.

Legitur apud Bekkerum Anecd. p. 674 sq. compendium doctrinae *περὶ προσῳδιῶν*, quod in Ms. Hbg. ante grammaticam positum est, idque sic, ut extrema verba *οὕτως καὶ τὰ ὅμοια* excipiantur hisce, quae omisit Bekkerus, ex minus bono codice edidit Villois. Anecd. II, p. 99:

Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων[3]) *πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. τῶν δὲ τεχνῶν διαφοραί εἰσι δύο· αἱ μὲν γάρ εἰσι λογικαί, αἱ δὲ πρακτικαί. καὶ λογικαὶ μέν εἰσιν οἷον γραμματική, ῥητορική, φιλοσοφία· πρακτικαὶ δὲ οἷον τεκτονική, χαλκευτικὴ καὶ αἱ τούτοις παραπλήσιαι.*

Deinde sequitur ipsa grammatica. Sed his duobus capitibus, compendio illo accentuum et hac formula definitionis atque divisionis, antiquissima, si quid video, prolegomena grammaticae continentur. Certe constat de compendio, quod ante grammaticam positum esse ab Theodosio vel Choerobosco, quia ipsa grammatica nihil de accentibus docuisset, diserte traditur ab interpretibus posterioribus. Sic Porphyrius qui vulgo dicitur ap. Bekk. p. 676, 3 *ἰστέον τοίνυν ὡς ὁ Θρᾷξ Διονύσιος, ὁ περὶ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου διδάξας ἡμᾶς καὶ ἔτι πρὸ τούτων περὶ στοιχείου καὶ συλλαβῆς καὶ λέξεως, οὐκ*

---

3) Al. *ἐκ καταλήψεων ἐμπειρίᾳ ἐγγεγυμνασμένων*. Est haec finitio Stoicorum. Legitur in codd. modo *ἐκ καταλ.* modo *ἐγκαταλ.* [Scribe *ἐκ καταλήψεων*. Finitionem sic convertit Quintil. II, 18, 41: artem constare ex perceptionibus consentientibus et coexercitatis ad finem vitae utilem].

ἀπὸ τῆς προσῳδίας ἤρξατο (quibus dicit illud compen-
7 dium, quod patet ipsum ante grammaticam legisse), *ἀλλ' ἀπὸ
τοῦ ὅρου τῆς γραμματικῆς. τὰ δὲ περὶ προσῳδίας ἕτερός
τις, τούτου μεταγενέστερος* (addit margo cod. Paris. 2542:
τὸν Ἀλεξανδρέα αἰνίττεται Θεοδόσιον, v. Bekk. Anecd.
p. 1141), *διὰ τοὺς ἄρτι τῆς γραμματικῆς ἀρχομέ-
νους ἀναγκαίως ἐδίδαξε.* Ferme eadem leguntur apud Theo-
dosium qui dicitur *π. προσῳδιῶν* p. 303 Osann: *ἰστέον τοί-
νυν ὡς ὁ Θρᾷξ Διονύσιος ὁ περὶ τῶν ὀκτὼ κτλ., ἄλλος
δέ τις μεταγενέστερος, Θεοδόσιος τοὔνομα, τὸν Ἀλεξαν-
δρέα φημί, τούς τε ὀνομαστοὺς* (l. *ὀνομαστικοὺς*) *κανόνας
καὶ τοὺς ῥηματικοὺς* (quos edidit Bekk. Anecd. p. 975 sq.,
quos commentario instruxerat Choeroboscus) *ἐτεχνήσατο· ὃν
δὴ καὶ τῶν προσῳδιῶν τινὲς παριστῶσι συγγραφέα διὰ
τὸ ἀσαφῶς περὶ τόνων διδάσκειν τὸν Διονύσιον. ἄλλοι
δὲ καὶ τοῦτο τοῦ θεολογικωτάτου Γεωργίου* (cod. *Γρηγο-
ρίου*, v. Goettling. praef. Theodos. pag. XVI) *λέγουσιν εἶναι τὸ
πόνημα.* Quam dubitationem equidem eo revocandam existimo,
ut forma compendii tribuenda sit Theodosio, locus Choerobosco.
Nam plurima pars compendii invenitur etiam apud Arcadium de
accentibus pag. 191, 5 ed. Barker., Arcadii vero liber, quem con-
stat nihil aliud esse quam epitomen Herodiani, longe meliore fide,
quod demonstrabitur infra, ad Theodosium refertur: ut ex hoc
Theodosii libro Choeroboscum compendium illud rescidisse atque
ante Dionysium collocasse putem[4]). Ad definitionem vero illam
a me expressam quod attinet, desunt testimonia, sed antiquam
8 esse arguit locus, quo legitur in codicibus, inter compendium
Theodosii et grammaticam Dionysii. Accedit quod, sicuti com-
pendium illud fundamento erat disputationibus posteriorum de
accentibus, ita haec formula iisdem grammaticis ansam dedit de
notione (*περὶ ὅρου*) grammaticae multum disputandi, quae di-
sputationes modo Theodosio modo Choerobosco tribuuntur,

4) Pinderus in Addit. ad Schoell. Vol. III, p. 605 narrat de versione Armeniaca Dionysii, saeculi IV vel V, plenioris quam in textu vulgato. Quinque sectionibus eam hoc ditiorem esse, quibus agatur de prosodia atque accentibus, de pedibus versuum, de coniugatione, de terminis grammaticis, de declinatione; easque ab interpretibus Armeniacis ad ipsum Dionysium referri videri. Edidit eam Cirbied, Mém. et diss. sur les antiquités nationales et étrangères publ. par la société roy. des antiquaires de France, T. VI, Paris. 1824. 8. p. 1—93, cum interpretatione francogallica, quo libro non licuit uti. Sed verisimile sectiones istas nihil aliud esse nisi prolegomena similia vel appendices, ab inferioribus grammaticis in usum discipulorum Dionysio affixa.

more istis temporibus perquam solenni, ut iisdem nominibus inscriberentur commentarii quibus inscriptum erat *τὸ κείμενον*, id quod instruebatur commentariis. Denique utrumque additamentum eodem consilio adiectum videtur, scilicet ut grammatica, quae de accentibus manca esse videretur, de notione grammaticae parum aperta, haberet unde, qui publicis acroasibus eam interpretarentur, quicquid ad accuratam artis traditionem attineret nectere possent. De accentibus cf. Bekk. Anecd. p. 676, 9 *δεῖ οὖν ἡμᾶς μὴ ἀπὸ τῆς τοῦ Διονυσίου τεχνολογίας τῆς ἐξηγήσεως ἄρξασθαι, ἀλλ' ἀπὸ τῆς προσῳδίας.* De notione grammaticae litigaverant iam antiquiores, v. Bekk. Anecd. p. 730, 22 *Πτολεμαῖος ὁ Περιπατητικὸς καὶ ἄλλοι τινὲς ἐγκαλοῦσι Διονυσίῳ ἐμπειρίαν εἰρηκότι τὴν λογικωτάτην γραμματικήν.* Ab definitione Dionysii cum doctores oecumenici suum opus veluti auspicati essent, ad totum inde nomen eius propagatum videtur; sed vidimus iam supra ipsam illam, quae Dionysio tribuitur, grammaticam in subsequentibus ad oppositam definitionem propendere. Eodem inferiores inclinabant, ut grammaticam, fundamentum illud disputationum suarum, ad Stoicorum definitionem quoquo modo flectere studerent, cf. Bekk. p. 731, 22 *ἄλλοι φασί· βουλόμενος ἐφελκύσασθαι τοὺς νέους τέως ἐμπειρίαν καλεῖ τὴν γραμματικήν, ὕστερον δὲ τέχνην,* unde vides neque hos fugisse illam, quae a me notata est, repugnantiam; p. 730, 32 *γραμματική ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τῶν λέξεων ἐμπειρία, κατὰ δὲ τὸ πλεῖστον τέχνη.* Talis dubitatio ut praecideretur, capitulo illo definitionis Dionysio pro- 9
lusit nescio quis grammaticorum inferiorum. Quamquam mansit disceptatio, quod patet ex prolegomenis maioribus ap. Bekk. p. 647—656 coll. Etym. Gud. ed. Sturz p. 663 sq., ubi exhibetur disputatio Porphyrii *εἰς τὸ τί ἐστιν ἐμπειρία*, incipiens sic: *πολλοὶ τῷ Διονυσίῳ ψόγον προσάπτουσι λέγοντες κακῶς αὐτὸν εἰρηκέναι τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν κτλ.* Quibus addam haec, ex Ms. Hbg. p. 3 sq., a Bekkero praetermissa:

Μάθωμεν τί ἐστιν ἐπιστήμη καὶ τί πεῖρα, καὶ οὕτως ἴδωμεν (Ms. *εἴδομεν*) *τίνι ἁρμόσωμεν τὴν γραμματικήν.*

Ἐπιστήμη μὲν οὖν ἐστιν[5]) *ἕξις* (*ἀμετάπτωτος λογική*)*· ἀμετάπτωτος δὲ οἱονεὶ ἀμετάπταιστος· ἐρωτήσας γὰρ γεωμέτρην μαθήσῃ παρ' αὐτοῦ, ὅτι παντὸς κύκλου ἡ περίμετρος περιπλασίων* (sic) *ἐστὶ τῆς διαμέτρου, καί*

---

5) Ms. *ἐστι λέξις.* Uncinis inclusa omittuntur.

ἐστιν ἀμετάπταιστος ὁ λόγος καὶ τέλειος· αὕτη μὲν οὖν ἐπιστήμη. πεῖρα δὲ ἡ ἑνὸς ἢ δευτέρου γνῶσις, [οἷον] ὅταν εἰδῇ (Ms. εἰδείη) γεωργὸς ὅτι δρεπάνῳ πληγεὶς ἰαθήσεται ὀπῷ συκῆς. ἐμπειρία δὲ ἡ ἄλογος τριβή, [οἷον] ὅταν εἰδῇ ὅτι χειμῶνος ὄντος ψύχη καθ' ἡμᾶς ἐργάζεται ὁ ἥλιος, τὴν μέντοι αἰτίαν μὴ ἐπίστηται μηδὲ λόγον ἀποδοῦναι εὕρῃ.

Τί οὖν διαφέρει πεῖρα ἐμπειρίας, εἰ κἀκείνη λόγον οὐκ ἀποδίδωσιν, οὐδὲ αὕτη; συμβαίνει οὖν ἐπὶ τῆς πείρας ἐπὶ τῆς καθ' ἓν ἢ δεύτερον γνώσεως κατὰ λόγον παρέπεσθαι, τὴν μέντοι ἐμπειρίαν παντελῶς εἶναι ἄλογον.

Ἴδωμεν οὖν τίνι συρράψομεν τὴν γραμματικήν· καὶ ὅτι μὲν ἐπιστήμη οὐκ ἔστι, δῆλον ἐξ ὧν σημειοῦταί τινα καὶ ἀλόγως ἀφορίζειν (Ms. ἀφορίζει). πάλιν οὔτε πεῖρα· εἰ γὰρ πεῖραν ἔφαμεν τὴν ἑνὸς ἢ δευτέρου γνῶσιν, πῶς ἂν τὴν γραμματικὴν πεῖραν εἴποιμεν (Ms. αὐτὴν τὴν γρ. π. εἴπομεν) τὴν πάσης λέξεως ἐργάτην; εἰ δὲ οὐδὲ πεῖραν, πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ ἐμπειρίαν.

Τί οὖν ἔστι; τέχνη. συνέστηκε γὰρ ἐκ μερῶν τεσσάρων, ἀναγνωστικοῦ, ἐξηγητικοῦ, διορθωτικοῦ καὶ κριτικοῦ· καὶ ἐξ ὀργάνων τεσσάρων, γλωσσηματικοῦ, ἱστορικοῦ, μετρικοῦ καὶ τεχνικοῦ. καὶ μέρος μὲν ὃ ἀπό τινος ἀπέσπασται καὶ αὐτῷ μόνῳ κοινωνεῖ, ὡς ἂν εἴπωμεν πρῷραν μὲν μόνης νεὼς εἶναι ἢ κλάδον μόνου φυτοῦ· μόριον δέ ἐστι τὸ μέρους μέρος· μέρος μὲν γὰρ ἡ κεφαλή, μόριον δὲ τὸ χεῖλος ἢ ἡ ῥὶς ἢ τὸ οὖς. οὕτως οὖν τέχνη ἡ γραμματική. τὸ δὲ τέλος χρειῶδες ἔχει τῷ βίῳ. λόγου γάρ ἐστιν εὑρετίς, δι' οὗ πᾶς ὁ βίος καὶ τὰ ὁρώμενα τέλος ἐδέξαντο.

§ 3.

De Porphyrii libro *περὶ προσῳδιῶν* inscripto.

Hunc librum edidit Villoisonus Anecd. II, p. 103 ex cod. Marci 652, deinde sine nomine Bekkerus Anecd. p. 675—703, forma longe emendatiore atque pleniore. Eundem continet apographum Holstenii p. 60—82, eadem fere forma qua nunc usurpatur opera Bekkeri. Falluntur vero qui hunc tractatum tribuunt Porphyrio philosopho, velut Holstenius de vita et scriptis Porphyrii c. 6, Reizius, alii; est nihil aliud nisi commentarius compendii istius Theodosii, de quo supra dictum est, quod cuique patebit, cui legere eum curiosius placuerit. Accedit quod ab ipso

scriptore citatur Philoponus, *ὃς καὶ περὶ προσῳδίας διαλαμβάνει ἐν ἰδίῳ βιβλίῳ* p. 653, 11; unde perspicuum est hunc alium Porphyrium esse: credo eundem cum eo, qui subinde citatur in scholiis ad Dionysium, unum ex doctoribus oecumenicis Byzantinis. Fallitur etiam Goettlingius Theodos. p. XV, allgem.
Accentlehre p. 11, affirmans hunc librum „omnia" ex Herodiano 11
hausisse[6]). Imo Herodiani est nihil aliud nisi finitio notionis *προσῳδίας*, Bekk. Anecd. p. 676, 16, quae explanatur usque ad p. 678, 33. Sequitur interpretatio compendii, singulis ipsius verbis interpositis.

§ 4.

De Theodosii Alexandrini qui fertur libro *περὶ γραμματικῆς*.

Sic inscribitur tractatus quidam, qui reperitur in codd. Vat. Venet. Taurin. Paris. Barocc., etiam in apogr. Hamb., ubi inscribitur *Γεωργίου γραμματικοῦ τοῦ Χοιροβοσκοῦ περὶ γραμματικῆς*. Eum Villoisonus (praef. ad Schol. Marc. p. XI) et Peyron (ap. Sturz. Orion. p. 236 sq.) non dubitaverunt ad ipsum Theodosium referre. Initium editum est ab Osanno in Philem. p. 303 et Bekkero Anecd. p. 1141, subsequentia a Goettlingio Theodos. p. 202 sq. Is recte quidem negavit auctorem esse Theodosium Alexandrinum, sed finxit pro hoc Theodosium Byzantium, quo non opus erat. Comparanti edita cum eo tractatu, qui vulgo tribuitur Porphyrio, de quo modo dictum est, statim perspicuum erit, eiusdem commentarii hanc alteram formam esse, ab initio pleniorem, maxime genere Herodiani, quod primum editum est ab Aldo in cornu Amaltheae, postea ab Osanno l. c., in posterioribus longe artiorem atque exiliorem. Ad Theodosium refertur more in his litteris fere recepto, quia compendium istuc accentuum, cuius hic commentarius erat, Theodosii esse putabatur; ad Choeroboscum (ad quem alii etiam Porphyrii
qui vulgo dicitur tractatum revocabant, v. Bekk. Anecd. p. 1140), 12
quia secundum alios hic compendium illud condiderat, v. supra: *ἄλλοι δὲ καὶ τοῦτο τοῦ θεολογικωτάτου Γεωργίου λέγουσιν εἶναι πόνημα*. Sequantur variantes lectiones nonnullae, maximam partem emendationes eorum, quae ex cod. Paris. 2603, Hamburgensi

6) Goettlingium temere sequitur Lersch Sprachphil. d. Alt. p. 83, qui egregie titubat etiam in iis, quae ibidem leguntur de opere catholico Herodiani.

longe in his peiore, edita sunt per Osannum et Goettlingium: cf. Philem. ed. Osann. p. 304, 8 H. *ἐπόνησε*. 307, 1. 2 *δι᾽ ὀλίγων γὰρ λέξεων πολλὰ παριστ.* 3 *ἀπορήτους καὶ δυσλύτους.* 9 *ὁ γοῦν υἱὸς αὐτοῦ Ἡρωδ.* 10 *τῷ ἰδίῳ πατέρι.* 12 *ἐπισυναγαγεῖν*. p. 308, 1 *μερικήν*. Theodos. ed. Goettl. p. 202, 1—5 significantur esse *τὸ κείμενον* i. e. ea, quae explicantur in sequentibus. 4 *ὁμολογουμένης*. 6 *ἰστέον δὲ ὅτι οἱ — διαφορᾶς*. 9 *ποδῶν*. 10 *ἐγγραμμάτου*. 11 *διαφορᾶς*. 13 *ἢ βαρύτονος ἢ περισπ.* 15 *ἢ ἐγγράμματος*. 18 *τινὸς τῶν τοιούτων*. 20 *ἀσήμαντος. καὶ ἄναρθρος μὲν σημαντική*. p. 203, 4 *βλίτηρι*. 6 *φωνάς*. 7 *ἔχουσαι ὡς ἡ*. 8 *κυρίως — φωνὰς δία*. 9 *ἐγγραμμάτου. πάλιν οὖν*. 12 *ὑγιής*. 14 *οἷον ἡ — ·ὠφείλει ὡς*. 17 *ἐπήγαγε*. 18 *ἐκφερομένη, τουτέστιν ὀρθή ἐστιν ἡ τάσις*. 20 *τὸ καθαρός*. 24 *τῶν γράμματον, τὴν σ.* 26 *Ἄργος τινὰ πόλιν*. 27 *εἰπεῖν — κατὰ τὴν σ.* 29 *τῶν ἐζευγμένων*. 30 *τόνου, ἀλλ᾽ οὐδὲ πνεῦμα πάλιν αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ ἐκφέρεται, ἀλλ᾽ ἢ μετά τινος χρόνου ἢ μετὰ χρόνου καὶ τόνου, ὥσπερ*. p. 204, 2 *ὀξύς, βαρύς, περισπώμενος*. 4 *τὸ Ἥλιος*. 7 *ὁ τόνος*. 9 *ἄνευ τόνου· οὐκ ἔστι γάρ*. 11 *γοῦν*. 13 *καὶ χρ. καὶ πν.* 14 *ταῦτα καί*. 21 *γελοῖος, ἀλλοῖος, παντοῖος*. 23 *ὡς τὸν ὅμοιον*. 26 *τροπαῖον· τὸ Ἀχιλλ. καὶ Πηλεύς*. p. 205, 5 *εἴπωμεν μετὰ ταῦτα*. Sequuntur in Ms. Hbg. p. 372—374 variae quaestiones de etymologia vocis *προσῳδία*, quae desunt apud Goettlingium, partim ex Arcadio excerptae, cur sint decem signa accentuum etc. Excipiuntur haec. p. 374 capite *περὶ διαιρέσεως τῶν προσῳδιῶν*, uti ap. Goettl. p. 205, 5 sqq. Varietatem notare nil attinet, cum eadem, idque melius, legantur in tractatu Porphyrii.

13 § 5.

Arcadium de accentibus rectius inscribi nomine Theodosii.

Codicum Parisiensium, ex quibus Barkerus textum describendum curavit, alter (2102) habet inscriptionem *Ἀρκαδίου περὶ τόνων*, alter (2603) *Ἀρκαδίου γραμματική*, v. ed. Barkeri p. 3 et 6. Codex Havniensis, quem contulit Blochius, prooemio praemittit haec: *πρόλογος οἶμαι Θεοδοσίου εἰς τοὺς κανόνας τῆς καθολικῆς προσῳδίας τοῦ σοφοῦ Ἡρωδιανοῦ*, et postea regulis ipsis: *κανόνες τῆς καθολικῆς προσῳδίας τοῦ σοφωτάτου Ἡρωδιανοῦ, οὓς περιέτεμε Θεοδόσιος ὁ*

γραμματικός, φυλάξας τὸν ἀριθμὸν τῶν βιβλίων, v. Dindorf Gramm. Gr. I, p. 48 sqq. Eandem inscriptionem habet Cod. Oxon., teste Kustero ad Suid. II, p. 78: *κανόνες τῆς καθολικῆς προσῳδίας τοῦ σοφωτάτου Ἡρωδιανοῦ, οὓς περιέτεμε Θεοδόσιος*, quo in codice etiam Bentleium credibile est lectitasse „Theodosii mstam *ἐπιτομὴν τῆς καθόλου* Herodiani", v. ap. Fabric. Bibl. Gr. VI, p. 207 H. Iam his auctoritatibus adde testimonium Constantini Lascaris in Ms. Hbg. p. 385, quo praefatur excerptis ex libro XVI Arcadii, quo repetitur simul eadem illa vita Apollonii vel potius Herodiani, quae legitur apud Aldum, Osannum, Bekkerum:

Κωνσταντῖνος ὁ Λάσκαρις Ἰακώβῳ Ξυμένῃ τῷ μουλιέρῳ μυστικῷ τοῦ ἀντιβασιλέως τῆς νήσου Σικελίας εὖ πράττειν.

*Ὁ πολυμαθὴς Ἡρωδιανός, οὗ ὁ λόγος πολὺς ἐν γραμματικῇ, λογιώτατε Ἰάκωβε Ξυμένη, υἱὸς γεγονὼς Ἀπολλωνίου ἐκείνου τοῦ Ἀλεξανδρέως, διὰ τὴν πενίαν ἀποδημήσας τῆς πατρίδος εἰς τὴν τότε θαυμαστὴν ἔπλευσε Ῥώμην, τὴν κοινὴν ἑστίαν, ἐπὶ τοῦ εὐσεβοῦς Ἀντωνίνου αὐτοκράτορος δικαίου καὶ λογίου ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώττῃ· ὑφ' οὗ φιλοτίμως ὑποδεχθείς, τιμηθείς τε καὶ εὐεργετηθείς, οὐ μόνον τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ηὔξησε διδάξας, ἀλλὰ
καὶ πάμπολλα θαυμάσια συνέθηκε, τοιούτῳ βασιλεῖ χα- 14
ριζόμενος· μεθ' ὧν καὶ τὸ περὶ τόνων, τὴν μεγάλην φημὶ προσῳδίαν, ἐκείνῳ ἐπέγραψεν ἐν βιβλίοις εἴκοσι, βίβλον πολύστιχον· ἣν μετὰ ταῦτα Θεοδόσιος ἐπιτεμὼν τόν τε ἀριθμὸν τῶν βιβλίων τό τε μῆκος ἐφύλαξε, διὰ τὸ μὴ οἷόν τε βραχίστην ἐπιτομὴν τὴν βίβλον δέξασθαι, καὶ μάλιστα ἐν τῷ τῆς ὀνομαστικῆς τόνῳ πολυποικιλωτάτῳ ὄντι· ταῦτά*[7]) *τοι καὶ αὐτὸς πολλάκις προθυμηθεὶς βραχῦναι οὐκ ἐποίησα, ἵνα μὴ πάθω ταὐτὸ ἐνίοις, οἳ συντεμόντες ἔδοξαν σταγόνα ὕδατος τοῦ Νείλου ἀρύσαι, τὸ δὲ ἑκκαιδέκατον συντεμών τε καὶ συντάξας κατὰ τὰς τέσσαρες συζυγίας τῶν νεωτέρων ἔπεμψά σοι φιλέλληνι ὄντι καὶ φιλοπόνῳ, ἵνα ἀπονώτερον εἰδέναι ἔχῃς τίνα τῶν ῥημάτων βαρύνεται καὶ τίνα περισπᾶται· ἀναγκαῖον γὰρ τουτὶ καὶ Λατίνοις καὶ Ἕλλησιν· καιροῦ δὲ λαβόμενοι ὡς ἠξίωσας καὶ τὸ περὶ τῶν τόνων τῶν ὀνομάτων, χρῆμα ἀναγκαιότατον, συντεμοῦμεν.*

---

7) Poteris dubitare utrum ipsum Herodiani opus an epitomen Theodosii dicat. Dicit vero Theodosium.

Sequuntur excerpta, non totum librum complexa, ordine verborum mutato. Vides vero eam, quae nunc exstat, epitomen Herodiani longe meliore fide tribui Theodosio quam Arcadio.

Praeter excerpta Lascaris, in nonnullis a textu vulgato diversa, alia ex eodem libro excerpta leguntur Ms. p. 19 sq., ad solennem illam quaestionum formam expressa, *διὰ τί χεῖρες μὲν βαρυτόνως, ἡ δὲ γενικὴ αὐτῶν χειρῶν*; et similia, quibus deinde responsa adiiciuntur ex Arcadio p. 133, 21 sqq. Ibidem leguntur haec, quae frustra quaeras in Arcadio, sed meliore forma inveniuntur apud Ioannem Alexandrinum pag. 5 Dindorf: *Διὰ τί τὸ μῆλον περισπᾶται; πᾶσα φύσει μακρὰ πρὸ βραχείας ληκτικῆς ἐν ἑνὶ μέρει λόγου οὖσα καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν τόνον περισπᾶται, οἷον κῆπος, λῶρος· κἂν εἴη δὲ ἐπὶ τέλους ἡ αι καὶ οι δίφθογγος, ὅτι κοιναὶ οὖσαι καὶ ἄλογοι καὶ ἀντὶ βραχείας παραλαμβανόμεναι, οὐ κωλύουσι τὸν προπερισπασμόν, μοῦσαι, νῶτοι, οὖροι· τὸ μέντοι εἶθε καὶ ναίχι οὐκέτι προπερισπᾶται, ἀλλὰ παροξύνεται· κατ' ἐπέκτασιν γὰρ γεγονότα τοῦ ναὶ καὶ τοῦ εἰ τῶν ἐντελεστέρων ἐφύλαξαν τοὺς τόνους*, cf. Bekk. Anecd. p. 1161. — Alia excerpta, partim uberiora Arcadio Barkeri, sed quae nonnisi extrema huius libri capita *περὶ χρόνων, περὶ πνευμάτων* p. 192—200 Bark. attingant, leguntur in Ms. p. 25—29. Denique paucis augere licet canones illos, quos edidit Bekk. Anecd. p. 1159 et Goettl. Theodos. p. 198; qui canones leguntur in Ms. Hbg. p. 15, primum ea forma, quam expressit Bekkerus, deinde altera, ubi quintae regulae, *πᾶσα δίφθογγος τελικὴ εἰς ῡ λήγουσα καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν τόνον περισπᾶται. — σεσημείωται τρία, ἰδού, ἰού, οὔ*, adiicitur argumentum hocce, a Bekkero praetermissum: *σεσημείωται ἐν τῷ λόγῳ τρία, τὸ ἰδοὺ δεικτικὸν ἐπίρρημα, τὸ ἰοὺ σχετλιαστικόν, καὶ τὸ οὒ ἀπαγορευτικόν· καὶ ὑπὲρ τούτων δὲ τῶν τριῶν ἀπολογίας προφέρουσι πιθανὰς μέν, οὐκ ἀσαφεῖς δέ· τὸ γὰρ ἰδού, φασίν, ἐγείρει τὸν τόνον, ἐπειδὴ καὶ οἱ δεικνύοντές τινα τὸν δάκτυλον ἅμα τῷ λόγῳ συνεγείρουσιν· ἐμιμήσατο τοίνυν ὁ τόνος τοῦ δακτύλου τὸ σχῆμα. τὸ δὲ οὔ, παρόσον οἱ ἀρνούμενοι ἀνανεύουσί τε καὶ τὴν ὄψιν ἐπεγείρουσιν· τὸ δὲ ἰοὺ σχετλιαστικόν ἐστιν, ὥς φασιν· ὁ δὲ σχετλιασμὸς ψυχικὸν δηλοῖ πάθος· οὐ σώζεται δὲ ἐν τοῖς πάθεσιν ἀλογία* (l. *ἡ ἀναλογία*).

§ 6.

Variantes lectiones Herodiani *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ σολοικίας*.

Legitur hic tractatus, editus a Valckenario in Ammon. p. 189 sqq. ex Mss. Leidensibus, in apogr. Hamburg. p. 359—363, unde iuvat excerpere varietatem: p. 191 ed. Valk., p. 176 ed. Lips. (Weigel 1822), vs. 2 H. *διαφέρει δὲ σολοικισμοῦ.* p. 177, 2 H. om. *τῇ.* 6 H. *λέγει.* 10 *σύστασιν.* 11 *τοῦ σχήματος.* 16
p. 178, 1 *γοῦν.* 2 in loco Anacreontis *κοίμησον σολ.* 3. 4 in versibus Hipponactis H. *περνῶσι* (sed infra p. 187 *περνόασιν*) et *ἀλφεστεύοντας.* vs. 13 *κατάλληλος.* p. 179, 3 *τὰ ἐπὶ τῆς λέξεως.* 8 *εἰς ῆ* 14 *δρίφρον.* 16 *Μιτυληναῖος.* p. 180, 16 *εἰς ῆ λήγουσαι* — *Δημοσθένεα καὶ Διογένεα, Δημ.* 18 *οἱ λέγοντες ἀκρᾶτον περισπωμένως, ἐάν.* 26 *ἀναβιβάζουσι.* p. 181, 7 *αὖρα.* 13 *ὥς ἔστι παρά.* 15 *ἐκούφισαν.* 18 *Αἴγεον.* p. 182, 18 *θειοτάτη.* p. 183, 9 *πόλιες.* p. 184, 9 *προειρήκαμεν.* 11 om. *οὐ.* 14 om. *εἰρημένος.* 17 *ἠπείλησε.* 23 *πρὸς σεῖο ἀντὶ τοῦ σοῖο.* p. 185, 15 *οὐρανοῦ ἔσω.* 17 *πολεῖται.* p. 186, 11 om. *τοὐναντίον* — *ἢ τόδε.* 14 *ἐμπεριέχονται.* 15 *ὡς ἐν τῷ· ἕνα λίθον ἄρας πένθ' ὑπῆσαν σκόρπιοι*, quae sententia esse videtur Praxillae Sicyoniae, v. fragm. Polemon. p. 150 sq., Schneidewin. Del. Poes. Gr. Sect. II et III, p. 438 et 471. De proverbio *ἠλιθιώτερος τοῦ Πραξίλλης Ἀδώνιδος* nuper ingeniose monuit Creuzerus, zur Gallerie der alten Dramatiker, Heidelb. 1839, p. 114.

§ 7.

De Scholiorum in Dionysii grammaticam recensione Bekkeriana.

Bekkerus de opere suo consueta brevitate sic scribit Anecd. p. 1137: „Scholia in Dionysii grammaticam e duobus edo codicibus, altero Vaticano 14, altero Hamburgensi. — Horum ego quot locis aut lectionem correxerim aut ordinem inverterim longius est quam utilius singulatim enarrare.“ Unde vides primum multa tacite correcta esse; qua in re quam docte, quam acute versatus sit vir summus, noluit apertum esse nisi fontes tractaturis; quod quamquam non abhorret ab dignitate viri in arte critica spectatissimi, tamen pleniorem varietatem optares, certe in testimoniis scriptorum antiquiorum. Sed gravius offen-

17 das in hoc, quo significat ordinem ab se inversum esse, qua in re nemo facile probaverit rationem viri doctissimi, adeo omnia turbavit, miscuit, pervertit. Quae ratio cum facilius ex comparatione editorum cum codice cognosci queat quam describi, breviter percurram singula capita, completis variantibus lectionibus fragmentorum, interdum etiam longioribus locis additis, a Bekkero neglectis.

In prolegomenis Bekkerus eundem ordinem tenet quem apogr., quod habet p. 33—54 quae leguntur ap. Bekk. p. 647—673. In fragmento Hipparchi p. 647 apogr. Hbg. vs. 1 *πολὺ γάρ*. vs. 2 *ἀνθρώποις — ἡ τέχνη*. In definitionibus subsequentibus p. 647, 23 H. om. *ἡ τοῦ*. Cetera adnotat ipse Bekkerus p. 1138. — p. 652, 30 H. *ἀποτελεσματικόν*. 653, 4 *ἀπὸ ἀσβέστου*. 6 *διατηρεῖ*. 11 *κινουμένη*. 25 *διὰ τῶν πηδαλίων*. 655, 3 *βαῦνον*. 659, 19 *δεινὸν — ἄνδρα*. 660, 25 *δηλοῖ*. 27 om. *ἐχρήσατο* et pro *διαιρῶν* habet *δι' αὐτῶν*. 661, 2 *μεταβάλλονται*. — Sequitur Ms. p. 55—59, ap. Bekk. p. 703, 24—708 *Γεωργίου τοῦ Χοιροβοσκοῦ περὶ προσῳδίας* [8]), quem sequitur in Ms. tractatus incipiens *τῶν δὲ τεχνογράφων οἱ μὲν ἀπὸ λόγου ἤρξαντο, οἱ δὲ ἀπὸ ὅρου* etc., quod Bekkerus posuit p. 730. Si ordinem codicis sequaris, videntur haec eiusdem Choerobosci esse, cuius nomine inscripta sunt antecedentia. Sequitur Ms. p. 60—82 tractatus Porphyrii, ap. Bekk. p. 675, 30—703, 20; deinde Ms. p. 82—91 *περὶ*
18 *προσῳδιῶν καὶ ἄλλως*, ap. Bekk. p. 709—720; tum Ms. p. 92—101 *περὶ τέχνης*, ap. Bekk. p. 720, 5—729, nisi quod post verba *προέκρινα ἂν μὴ εἶναι ἢ κακὸς εἶναι* p. 726, 4 Bekk. in Ms. sequitur notatio critica de origine grammaticae et de Dionysio Thrace, quam Bekkerus posuit in margine p. 672 et 673; denique Ms. p. 97 expositio definitionis Stoicae, quae legitur ap. Bekkerum p. 721 in margine. — Adiicio lectiones variantes p. 723, 17. 18. Hbg. p. 1 et 94 *τὴν τέχνην τῆς γραμματικῆς*. vs. 21. Hbg. p. 1 *εὐεργέτης τῶν παιδευομένων γε-*

8) Cum exordio cf. haec Ms. p. 372: *ποσαχῶς ἡ προσῳδία; τριχῶς. πῶς; προσῳδία καὶ τόνος, προσῳδία καὶ ἡ χειρονομία, προσῳδία λέγεται καὶ ἡ τοῦ ὀργάνου φωνή. καὶ ἄλλως. προσῳδία λέγεται παρὰ τοῖς μουσικοῖς τὸ κροῦσμα ἢ ἡ ἐκφώνησις τοῦ αὐλοῦ, ὅπερ λέγεται καὶ κροῦμα, προσῳδία λέγεται καὶ ἡ τάσις ἐν τῷ παροξύνειν τὴν λέξιν ἢ ὀξύνειν καὶ προπερισπᾶν ἢ περισπᾶν, προσῳδία λέγεται καὶ αὐτὸς ὁ χαρακτὴρ τῶν τόνων καὶ τῶν χρόνων καὶ τῶν πνευμάτων.* Cf. Crameri Anecd. Oxon. Vol. IV, p. 308 sqq., ubi alia huiusmodi supplementa collecta sunt. Ap. Bekk. p. 703, 25 pro *στόμα* scrib. *κροῦσμα*.

νέσθαι. θεμέλιον γάρ. vs. 24 δυσχερείᾳ φευκτέα τυγχάνῃ, πόθῳ δὲ μᾶλλον τοῖς ἐντυγχάνουσιν ὑπάρχῃ. 25 πεποίηται. p. 724, 6 ὁδηγοῦντα προοίμια τῶν κανόνων μανθάνουσιν. In fragmento Theophili p. 724, 28 H. καὶ τί φημί — βούλομαι. 31 νόμους, Ἑλλήνων ἔμαθον γράμματα, ὑφ' ὧν ἐμνήθην θεοῖς. In fragmento Callimachi p. 725, 26 H. καὶ πάλιν περὶ τῷ αὐτῷ περὶ Κλεομβρότου εἶπεν, Ἥλιε χαῖρε φαεινέ, Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης. p. 726, 4 H. κακῶς. p. 728, 15 H. καλοῦμαι, sed p. 725, 24 καλεῦμαι. p. 728, 20 Κρεοφύλου τόνος εἰ μὴ δόμα ποτὲ θεῖον ἀοιδόν. vs. 22 κλείω δ' εὐρύτονος ἔπαθε. 23. 24 Ὁμήρειον γράμμα δὲ καλοῦμαι Κρεοφύλου. 25 γραμματική. p. 729, 23 παρὰ Ἐξιφάνους, cf. Cramer Anecd. p. 311. — vs. 24. 25 καὶ τῆς μὲν μιᾶς γραμματικῆς τέλος τὸ εὖ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ ἑτέρας γραμματικῆς τὸ εὖ γράφειν.

Haec scholia si spectant prolegomena ista antiquissima, de quibus dixi, compendium accentuum et finitionem notionis artis, sequuntur deinceps scholia ipsius grammaticae, quae in Ms. non ad singula verba applicata sunt, ut apud Bekkerum, sed ad singulas sectiones, supra scriptis titulis sectionum, plerumque etiam interpretum nominibus appositis. Bekkerus cum hoc ordine eadem lemmata identidem repeti, easdemque res diversis locis tractari videret, ad legentium usum commodius esse ratus, si disiecta componerentur, longiores istos tractatus interpretum discerpsit et frustatim apposuit, ad singula Dionysii verba ex diversis diversorum interpretum explicationibus coagmentans quae 19
eodem spectarent; quod cum per se audacius factum sit, tum ideo vituperandum videtur, quod nomina auctorum nonnisi primis quibusque frustis commentariorum apposuit, in ceteris cui haec in Ms. tribuerentur significare prorsus neglexit. Sic Ms. p. 101—103 primum legitur Choerobosci commentarius de sectione περὶ γραμματικῆς, nam huius grammatici esse recte notatur in margine, cum supra, Ms. p. 59, eadem subiungantur Choerobosci tractatui περὶ προσῳδιῶν. Haec Bekkerus distribuit p. 730, 5—731, 24; 733, 13—22, interpositis atque divisis quae uno tenore leguntur Ms. p. 103—107 cum inscriptione εἰς τὸν αὐτὸν καὶ ἄλλως. περὶ γραμματικῆς Μελάμποδος. Haec diversissimis locis leguntur apud Bekkerum, initium p. 731, 26—732, 2, addito nomine Melampodis, sequentia p. 733, 24—26; 734, 17—735, 8; 736, 5—738, 4; 738, 16—739, 33; 740, 6—29; 741, 6—23; 741, 33—742, 5: quae quis suspicetur omnia eiusdem Melampodis esse? His rursus alia infersit,

quae sine nomine leguntur Ms. p. 108 et p. 108—112, duo capita adnotationum *περὶ γραμματικῆς* et *εἰς τὸν αὐτὸν καὶ ἄλλως* inscripta, quorum prius positum est ap. Bekk. p. 732, 4—733, 12, alterum in minuta capitula divulsum p. 733, 27—734, 17; 735, 10—736, 3; 738, 6—14; 739, 15—23; 740, 1—5; 740, 30—741, 4; 741, 24—31; 742, 6—9; 659, 20—34 *πόσα θεωρούμενα* — *ὁλοκλήρου λόγου*, quae sunt eiusdem auctoris.

§ 2. *περὶ ἀναγνώσεως*. Ms. habet quatuor diversorum grammaticorum adnotationes: 1) p. 112 *περὶ ἀναγνώσεως* inscriptam; 2) p. 112—118 *ἄλλως*; 3) p. 118 *περὶ ἀναγνώσεως*; 4) p. 118—121 *καὶ ἄλλως εἰς τὸ αὐτό*, et in margine *Στέφανος*. Quae apud Bekkerum sic distributa sunt: 1) p. 743, 22—33; 744, 25—745, 5; 2) p. 743, 1—14; 745, 6—746, 32; 747, 25—750, 15[9]), 751, 1—7: 751, 19—752, 3; 752, 17—25; 753, 21—754, 4[10]); 3) p. 742, 14—33; 4) p. 743, 16—21; 744, 1—11; 15—17; 19—23; 747, 1—23; 750, 17—33; 751, 9—18; 752, 5—16; 752, 27—753, 20. Haec omnia revocanda ad Stephanum.

§ 3. *περὶ τόνου*. Ms. p. 121—124 *Μελάμποδος περὶ τόνου*, leguntur apud Bekk. p. 755, 5—13; 29—757, 11; 754, 10—755, 4; 14—27, ubi sequuntur haec verba, *τόνος δέ ἐστιν ἐπίτασις ἢ ἄνεσις ἢ μέτρον τῆς συλλαβῆς εὐφωνίαν ἔχουσα*. Sequitur Ms. p. 124 sq. *εἰς τὸ αὐτὸ Πορφυρίου*, ap. Bekk. p. 757, 13—33.

§ 4. *περὶ στιγμῆς*: 1) Ms. p. 125—128 *Μελάμποδος*, ap. Bekk. p. 758—759, 24; 762, 4—12; 763, 10—765, 23. Quae p. 763, 11 leguntur *ὧν τὰ ὀνόματα ἤδη ἡμῖν προείρηται*, haec referenda ad eiusdem Melampodis disputationem antecedentem, cum apud Bekkerum ne de eo quidem constet, qui posuerit illud *ἡμῖν*. Sequitur in Ms. 2) series adnotationum, incipiens *σκοπὸν ἔχων ὁ τεχνικός*, Bekk. p. 759, 26, ad quas referendum quod legitur in margine: „in codice alio *Στεφάνου περὶ στιγμῆς*“, non ad antecedentia, quo trahit hanc notam Bekkerus p. 1167, quae potius erant Melampodis. Ceterum coniungenda Bekk. p. 759, 25—760, 8; 10—761, 18, ubi rursus in margine monetur: „Hoc quoque Stephani in alio codice.“

9) p. 748, 18 Ms. *Σουσαρίων*, δ in σ mutato; vs. 22 *ἀκούετε λέξεως λεὼς Σουσαρίων τάδε λέγει· p. 749, 30 νηΐδε ἢ μούσαις οὐκ ἐγένοιτο.*

10) p. 753, 27 Ms. *καὶ τὰ ἐνάρετα ποιήματα εὐτελίζει.*

Sequuntur deinde eodem quo apud Bekkerum contextu p. 761, 20—31 et 762, 14—763, 8 Bekk. Inter sectiones *περὶ στιγμῆς* et *τίνι διαφέρει στιγμὴ ὑποστιγμῆς* neque in scholiis grammaticae distinguitur neque in ipsa grammatica.

§ 6. *περὶ ῥαψῳδίας*: 1) Ms. p. 130—133 sine inscriptione; ap. Bekk. p. 765, 25—768, 20, qui tamen omisit locum de Pisistrati studiis Homericis, breviorem atque simpliciorem 21
altero, quem edidit p. 766, inscriptum *περὶ ῥαψῳδίας καὶ ἄλλως*. Explicantur verba Dionysii, *ῥαψῳδία ἐστὶ μέρος ποιήματος* etc. Adnotantur haec: *τὴν ῥαψῳδίαν καὶ αὐτὸς παρετυμολογῶν λέγει διαφόρως παρῆχθαι· ἢ γὰρ παρὰ τὸ ῥάπτειν (ῥάψαι δέ ἐστιν, ὡς ἴσμεν, τὸ κατασκευάσαι), ἐπειδὴ τὰ ἔπη συρράπτεται ἔκ τε διαφόρων λέξεων καὶ ῥημάτων καὶ οὕτως ἐξυφαίνεται τὰ τῆς ὑποθέσεως· ἢ παρὰ τὸ μετὰ ῥάβδου δαφνίνης τοὺς ῥαψῳδοὺς τὰ ἔπη ἐπιδείκνυσθαι. ἦν γάρ, ὥς φασιν, ἀπολόμενα τὰ τοῦ Ὁμήρου· τότε γὰρ οὐ γραφῇ παρεδίδοτο, ἀλλὰ μόνῃ διδασκαλίᾳ καὶ ὡς ἂν μνήμῃ μόνῃ ἐφυλάττετο. Πεισίστρατος δέ τις Ἀθηναίων τύραννος, ἐν ἅπασιν ὢν εὐγενής, καὶ ἓν τοῦτο θαυμαστὸν ἐβουλεύσατο· ἠθέλησε γὰρ καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἔγγραφον διαφυλάττεσθαι. προθεὶς ἀγῶνα δημοτελῆ καὶ κηρύξας καὶ δοὺς ἄδειαν τοῖς εἰδόσι καὶ βουλομένοις τὰ Ὁμήρου ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μισθὸν τάξας στίχου ἑκάστου ὀβολόν, συνήγαγεν ὁλοσχερεῖς τὰς λέξεις καὶ παρέδωκεν ἀνθρώποις, ὡς τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ·*

τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξετίναξε (sic).

Eadem edidit Villoisonus Anecd. Gr. II, p. 182 not. 1 ex cod. Marci 189, sed longe corruptius. Utitur iis Wolfius in Prolegg. p. LXXVIII not. 39 et p. CXLVIII not. 9. In Ms. statim post hunc locum sequuntur quae edidit Bekkerus p. 768, 22—769, 2; 2) *καὶ ἄλλως, Πορφυρίου*, Ms. p. 134—136, apud Bekkerum divisa p. 769, 4—33; 770, 18—772, 2.

§ 7. *περὶ στοιχείων. Μελάμποδος*. Ms. p. 136—151, quae Bekkerus multis locis distribuit, p. 772, 26—778, 3; 780, 7—31; 788, 27—789, 4; 789, 20—790, 19; 795, 21—26; 796, 26—31; 797, 15—17; 24—33; 19—23; 798, 13—799, 27; 801, 1—19; 802, 1—28; 803, 5—15; 803, 29—32; 805, 4—16; 23—29; 806, 14—26; 808, 9—809, 2; 14—21; 810, 5—812, 2; 813, 19—814, 15; 816, 11—25; 817, 17—819, 6. Sic haec sequuntur et omnia sunt Melampodis. Bekkerus nonnisi primo fragmento nomen Melampodis apposuit.

Longum est omnia persequi et sufficiunt haec ad id quod 22

supra pronuntiavi confirmandum, consultum quidem a Bekkero esse commodo legentium, historiam vero artis grammaticae impeditam esse, cui qui libros grammaticos primum edunt plurimum prospicere debent et nunc fere solent prospicere. Quare qui Byzantiorum successiones accuratius persequi volet, is codices adeat necesse est, nisi existat cui aliam Dionysii scholiorumque eius editionem parare eaque in re historiam maxime spectare et codices observanter sequi placuerit. Dicat aliquis parum dignos esse homines istos, Melampodem, Stephanum, Porphyrium, Diomedem, quibus tantum operae tribuatur. Mihi secus videtur; sunt illi, etiamsi recentiores fuerint Theodosio atque Choerobosco, tamen melioribus disciplinae Constantinopolitanae temporibus adnumerandi; multumque in scholiis eorum doctrinae, multus antiquarum litterarum usus deprehenditur; certe mirum est quantum haec scholia distant ab iis, quae extremis Byzantiorum temporibus condita esse videntur, postquam coeperant nil nisi Biblia atque Patres tractare, religiosaque monachorum desidia neglectui dederat omnes illas, quibus superiores tantum laetati erant, litteras elegantiores. Adde quod iucundissimum est artium philologicarum cultum atque historiam etiam per extrema illa Graeciae tempora persequi, ubi Constantinopoli delitescebat quidquid igniculorum deformi ista antiquitatis ruina nondum exstinctum erat, mox omnia obsessura.

§ 8.

De Theodosii grammatica, a Goettlingio edita.

Theodosii quae dicitur grammatica nihil aliud est nisi alia scholiorum in Dionysium eiusque prolegomena antiqua a variis doctoribus elaboratorum collectio, quorum pars legitur etiam in scholiis maioribus, a Bekkero editis, altera pars huic collectioni
23 propria est. Si utramque collectionem comparaveris, Bekkeriana si non antiquior, at maturius absoluta esse videtur, Goettlingiana a serioribus grammaticis multum interpolata atque coarctata. Goettlingius in farragine hac edenda usus est Codd. Paris. 2553 et 2555. In cod. Hamb. non omnis collectio, sed multa capita leguntur, eaque forma passim pleniore atque emendatiore, ut dolendum sit Goettlingium his subsidiis caruisse. Sic Ms. p. 295 cum inscriptione *περὶ τοῦ πῶς συνυπέστη ὁ ἀλφάβητος* leguntur eadem quae habet Goettlingius p. 1—2, 14, sed plenius. Sic p. 1, 6 H. *συνεφωνήθη ἡ φράσις τῆς ἑρμηνείας τῆς ἑβραΐδος τῇ ἑλληνικῇ διαλέκτῳ.* 11 *ἐκ θεοῦ.* 12 *τοῦ*

ἀνοίξαι τὸ στόμα εἰς σύνεσιν τῶν γράμματα μανθανόντων. 18 *τὰ ἑαυτῶν Ἑλληνικὰ γράμματα· καὶ γὰρ αὐτὰ τὰ φοινίκεια τοῖς ὀνόμασιν οἷς καὶ τὰ ἑβραϊκὰ κατὰ μίμησιν τῶν Ἑβραίων τοῖς Φοίνιξιν εὑρέθη. Παλαμήδης δὲ ὕστερον ἐλθών, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ ᾱ ἄλφα, β βῆτα, δέκα ἓξ μόνα τοῖς Ἕλλησιν εὗρε στοιχεῖα, τουτέστιν κτλ.* p. 2, 4 *σπαλίδα ἔλεγον, ἀλλὰ καὶ πολλὰ ῥήματα ἄλλως ἐξεφώνουν καὶ ἔλεγον καὶ ἔγραφον. μετὰ δὲ ταῦτα Σιμωνίδης ὁ Χῖος εὑρὼν προσέθηκε δύο, η̄ καὶ ω̄, Ἐπίχαρμος δὲ ὁ Συρακούσιος τρία, ζ̄, ξ̄, ψ̄, καὶ οὕτως ἐπληρώθη τὰ εἰκοσιτέσσαρα στοιχεῖα· ὅθεν μιμησάμενος ὁ Ὅμηρος τὸν ἀριθμὸν τῶν εἴκοσι δύο βιβλίων τῶν παρ' Ἑβραίοις εἰς τὸν τῶν εἴκοσι δύο στοιχείων τυπωθέντα ἀριθμόν, καὶ αὐτὸς τὴν ἰδίαν ποίησιν τῆς Ἰλιάδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων ῥαψῳδιῶν διὰ τῶν εἰκοσιτεσσάρων ἐποίησεν· οὕτω δὲ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν κτλ.* Alterum caput legitur Ms. p. 289. *Θεοδοσίου περὶ ὅρου· ὅρος ἐστὶ λόγος καθολικός, περιέχων τὰ περιεχόμενα· ἢ οὕτως· ὅρος ἐστὶν ὁ τὸ τί ἐστιν ἕκαστον δηλῶν. τὴν μὲν οὖν καθόλου τέχνην ἐστὶ διαφόρως ὁρίσασθαι· οἱ μὲν γὰρ ὁρίζονται οὕτως· τέχνη ἐστὶν ὁδοποιητικὴ τοῦ κοινοῦ συμφέροντος, ἄλλοι δὲ οὕτως, τέχνη ἐστὶ μέθοδος ἐνεργοῦσα τῷ βίῳ τὸ συμφέρον· οἱ δὲ Στωικοὶ φιλόσοφοι, ὧν καὶ ὁ ὅρος ἀποδεκτέος, οὕτως· τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῷ βίῳ. καὶ ἄξιον δὲ ἡμᾶς μὴ ἀγνοεῖν τὰς ἐγκειμένας τῷ ὅρῳ λέξεις· σύστημα γάρ ἐστι τὸ πλῆθος κτλ.* Deinde se- 24
quuntur quae apud Goettl. leguntur p. 50, 10 sqq. vs. 10 H. *πλῆθος.* 12 *ἐγκαταλήψεων — γνώσεων, καταλαβεῖν γὰρ τὸ γνῶναι. συγγεγυμνασμένων, τουτέστι συνεζητημένων· γυμνάσαι γὰρ τὸ εἰς φῶς καὶ γνῶσιν ἀγαγεῖν.* 18 *ὡς ἂν εἴποι τις τειχωρυχία.* 19 *ταύτας ἐπιτηδεύοντας τέχνην ἐργάζεσθαι.* 20 *ἀπηγορευμένη μώμῳ, ὧν τὸ τέλος θάνατος. εἰ γὰρ ἐπὶ συμφέροντι καὶ τῇ συστάσει τοῦ βίου ἐστὶν ἡ τέχνη, αὗται δὴ τέλος ὀλέθριον ἔχουσαι, ὁμολογῶ ὡς οὐ τέχναι μᾶλλον ἢ κακοτεχνίαι εἰσίν· καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς τέχνης λέγειν ἐπεχειρήσαμεν· τὴν δὲ γραμματικὴν οἱ ὀρθῶς ὁριζόμενοι τοῦτον ὁρίζονται τὸν τρόπον.* Sequitur haec finitio grammaticae: *γραμματική ἐστι τέχνη [ἤγουν] ἕξις θεωρητικὴ καὶ ποιητικὴ τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι, δι' ἧς ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον ἀποδιδόν-*

τες ἐξ ἀπείρου καταληπτὸν ποιούμεθα, quibus haec explanatio subiungitur: ἐπεξηγησώμεθα δὲ τὰς ἐγκειμένας τῷ ὅρῳ λέξεις. θεωρητικήν τε καὶ πρακτικὴν τέχνην εἴπομεν τοῦ μικτοῦ εἴδους εἶναι τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν, ἐπειδὴ διακριτική ἐστι πάσης Ἑλληνικῆς φωνῆς, ἐμμέτρου τε καὶ πεζῆς· τὸ λοῖπον δὲ τοῦ ὅρου, ἐπειδὴ καὶ αὐτῆς τῇ ἀναλογίᾳ χρώμενοι καὶ κανονίζοντες τὸ ἄπειρον πλῆθος τῶν λέξεων δι' ὀλίγου εὐδιάγνωστον ποιούμεθα· εἴρηται δὲ γραμματικὴ παρὰ τὸ γράμμα. οὐ ταὐτὰ μέντοι τὰ γράμματα· οὕτω γὰρ καὶ Καλλίμαχος σύγγραμμα βουλόμενος εἰπεῖν ἐχρήσατο· „Πλάτωνος ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος“ (cf. Bekk. Anecd. p. 725, 30). τὸ πρότερον δὲ κριτικὴ ἐλέγετο καὶ οἱ ταύτην μετιόντες κριτικοί. Αὐτόδωρος δέ τις Κυμαῖος συγγραψάμενος Λέξιν ἐπέγραψεν· Αὐτοδώρου γραμματικοῦ Λέξις (l. Λέξεις), καὶ ἐκ τούτου ποτὲ ἡ κριτικὴ καὶ γραμματικὴ λέλεκται καὶ γραμματικοὶ οἱ ταύτην μετιόντες [11]· δεῖ δὲ ἀναγκαίως πρὸ τῆς καθόλου παντὸς βιβλίου εἰσβολῆς τὰ ἑξῆς κεφάλαια ζητεῖν ταῦτα καὶ ταὐτὰ ἀναγκαῖα ὄντα, ἐπιγραφήν, συγγραφέα, σκοπὸν χρήσιμον, τάξιν, τέλος. Sequuntur quae habentur ap. Goettl. p. 54, 13 sqq. sed coarctate. vs. 30 H. προσσκοπούσης. p. 55, 14 ὅτι ταῦτα τὰ κεφάλαια τὰ ἓξ ἔχει καὶ αὐτὴ ἡ εἰσβολὴ τοῦ βιβλίου δηλοῖ· ἐπιγραφὴν μὲν περὶ μερῶν λόγου· συγγραφέα δὲ Διονύσιον τὸν Θρᾷκα [12]), εἷς δὲ τῶν τεχνικῶν γραμματικῶν οὖ-

11) Sermo est de eo grammatico, quem Clem. Al. Strom. I, c. 16 p. 365 Potter appellat Apollodorum: Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ex cod. Hbg. eundem locum excerpsit Fabricius Bibl. Gr. VII, p. 54, [cf. Burmann ad Valesii artem crit. pg. 116,] ex Veneto 480 similem Villoisonus Anecd. II, p. 172, ubi nominatur Ἀντίδωρος, sed adiungitur in altero codice S. Marci diserte legi Αὐτόδωρος. Ἀντόδωρος (in margine Αὐτοδ.) appellatur in Excerptis Crameri, Anecd. Oxon. IV, p. 310, ubi perhibetur scripsisse librum περὶ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου, idemque nomen exstat in Schol. Cod. Venet. Il. ψ, 638. 639, cf. Villois. Prolegg. p. VIII not. 1, et in excerpto ex cod. Voss. 76 ap. Bekk. Anecd. p. 1140. De appellatione criticorum et grammaticorum v. commentationem Lehrsii, de vocabulis φιλόλογος, γραμματικός, κριτικός, Regim. 1838. 4. [Nomen Ἀντόδωρος invenitur etiam apud Ptolemaeum Heph. p. 187, 25 Westermann.]

12) Hoc nomen deest ap. Goettl. p. 55, 16, qui falso supplet Θεοδόσιον. Vides nihil esse grammaticam istam Theodosii. Est collectio notarum in Dionysium, nihil aliud. Theodosii nomine inscribitur eodem errore, de quo dictum est supra. Ceterum vides grammaticam Dionysii olim inscriptam fuisse περὶ μερῶν λόγου, vel plenius (Goettl. p. 55, 15) περὶ τῶν ὀκτὼ τοῦ λόγου μερῶν, quamquam de his agitur posteriore demum parte § 13—25.

τος· σκοπόν, τὸ πρὸς εἰσαγομένους γράφειν. Post p. 55, 31 sequuntur haec: *ζητεῖται δὲ ἐνταῦθα τίνος ἕνεκα τῶν τεχνικῶν διαφόρως ἀρξαμένων οἱ μὲν ἀπὸ μερῶν λόγου, οἱ δὲ ἀπὸ λέξεως, οἱ δὲ ἀπὸ συλλαβῆς, οἱ δὲ ἀπὸ στοιχείου, οἱ δὲ ἀπὸ φωνῆς, ὡς καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Δύσκολος*[13]), *οὗτος ἁπάντων μόνος παρεὶς ἀπὸ τοῦ περὶ γραμματικῆς ἤρξατο. λεκτέον οὖν ὅτι σκοπὸν ἔχων πρὸς εἰσαγομένους γράφειν καὶ εἰδὼς ὅτι ἐκεῖνοι αὐτῇ πρώτῃ τῇ γραμματικῇ ἐντυγχάνουσιν, ἀναγκαῖον ᾠήθη πρὸ πάντων* 26
περὶ αὐτῆς τὸν λόγον ποιήσασθαι, ἵνα μάθωσι τί ἐστι γραμματικὴ πρὸς παίδευσιν, πρὸς ἔργον, καὶ τὰ ταύτης θεωρήματα ἵνα γνόντες κριτικώτερον ἀκροάσωνται περὶ τῆς τῶν μερῶν τοῦ λόγου διδασκαλίας. ἀρχόμενος τοίνυν ὁ Διονύσιος τῆς γραμματικῆς ὁρίζεται αὐτὴν ὥσπερ ἔχει τὸ βιβλίον. — Similis ratio est eorum quae leguntur Ms. p. 291—294, *ἑτέρως τὰ προλεγόμενα* inscripta, quae quamquam plurima habent cum editis a Bekkero et Goettlingio communia, nonnullis tamen uberiora sunt. Tractantur solitae istae quaestiones de utilitate grammaticae, de notione artis, de etymologia vocis *τέχνη*, ubi inter alia: *καὶ ὁ κωμικὸς δὲ Ἵππαρχος μάρτυς τούτου γεγένηται· φησὶ γὰρ ἔν τινι τῶν ἑαυτοῦ κωμῳδιῶν· "πολὺ γάρ ἐστι κτῆμα τιμιώτατον ἅπασιν ἀνθρώποις εἰς τὸ ζῆν τέχνη"*, qui locus solebat in interpretatione Dionysii citari. — Alia excerpta sequuntur Ms. p. 20 sqq., cum indice *περὶ ὀρθογραφίας*, conferenda cum Goettl. p. 61, 22—67, quae multis locis inde compleri possunt atque emendari.

§ 9.

De scholiis minoribus Dionysii, infima aetate conceptis.

Leguntur haec Ms. p. 297—320, cum indice *Θεοδοσίου γραμματικοῦ Ἀλεξανδρέως περὶ προσῳδιῶν.* Ordiuntur ab interpretatione compendii istius accentuum, quod referebatur ad Theodosium, unde nomen Theodosii etiam ad hanc collectionem translatum est; deinde singulae grammaticae sectiones explicantur. Bekkerus his scholiis et ad grammaticam recensendam usus est (v. p. 1128, ubi consignantur littera h.) et multa inde excerpta protulit in notis criticis p. 1161 sqq., ubi h. fere conspirat cum Vat. 1356. Sunt infimae aetatis, ingentemque prae se

---

13) Cf. Apollonius Syntax. init. *ἐν ταῖς προεκδοθείσαις ἡμῖν σχολαῖς ἡ περὶ τὰς φωνὰς παράδοσις, καθὼς ἀπῄτει ὁ περὶ αὐτῶν λόγος, κατείλεκται.*

ferunt antiquitatis ignorantiam. Pauca sciunt praeter litteras sacras, unde Dionysium commentantes miras interdum proferunt
27 res, velut hoc, *ποιηταὶ μὲν Ὅμηρος, Ἀριστοφάνης, Θεόκριτος, Ἀλκμαῖος, Πίνδαρος, Ἡσίοδος, Ἰσοκράτης, Εὐριπίδης Θουκυδίδης, Φωκυλίδης καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ποιηταί· συγγραφεῖς δὲ οἱ τὰ τούτων ποιήματα συγγραψάμενοι· λέγωμεν δὲ τρανότερον περὶ ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων· ποιητὴς μὲν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, συγγραφεῖς δὲ Ματθαῖος, Μάρκος, Λουκᾶς, Ἰωάννης. ποιήματα δὲ τοῦ μὲν Ὁμήρου ἡ Ἰλιὰς καὶ ἡ Ὀδύσσεια, συγγράμματα δὲ τὰ αὐτὰ νοείσθω· ἐστὶ δὲ τοῦ κυρίου ἡμῶν ποιήματα μὲν ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα κτίσματα καὶ ἡ παλαιὰ καὶ ἡ νέα διαθήκη, ἡ συγγραφεῖσα ὑπὸ Μωύσεως καὶ τῶν προφητῶν καὶ τῶν εὐαγγελιστῶν*: quorum partem priorem dedit Bekkerus p. 1162. Similia comminiscitur de comoedia, v. Bekk. p. 1166 ad 749, 24. In sequentibus leguntur haec: *ποιητικοὶ τρόποι εἰσὶν κζ΄. ζήτει αὐτοὺς ἐν τῷ περὶ τρόπων Χοιροβοσκοῦ*: deinde haec: *γλῶσσά ἐστιν ἰδίωμα διαλέκτου, διάλεκτοι δέ εἰσιν ἑλληνικαὶ πέντε, Ἰάς, Ἀτθίς, Δωρίς, Αἰολίς, κοινή. Ἰὰς μὲν ἐκλήθη ἡ τῶν Ἰώνων ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Κρεούσης τῆς ἐξ Ἐρέχθεως θυγατρός, ᾗ ἔγραφεν Ὅμηρος· Ἀτθὶς δὲ ἡ τῶν Ἀττικῶν, ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς Κρανάου θυγατρός, ᾗ ἔγραψεν Ἀριστοφάνης· Δωρὶς δὲ ἡ τῶν Δωριέων ἀπὸ Δώρου τοῦ Ἕλληνος παιδός, ᾗ ἔγραψε Θεόκριτος. Αἰολὶς δὲ ἀπὸ Αἰόλου Ἕλληνος παιδός, ᾗ ἔγραφεν Ἀλκμαίων* (sic): *κοινὴ δὲ ᾗ πάντες χρώμεθα, ταύτῃ ἔγραψε Πίνδαρος*. In sequentibus sunt illa, quae excerpsit Bekkerus p. 1165, ubi criticae cuiusdam sacrae elementa traduntur, *κρίσις ποιημάτων μὲν ἡ ἀκριβὴς γνῶσις τῶν ποιημάτων λέγεται· ταύτῃ τῇ ἠκριβωμένῃ γνώσει χρώμενος ὁ γραμματικὸς δεῖ γινώσκειν τὰ βιβλία τῆς ἐκκλησίας πάντα, τουτέστι τὴν παλαιὰν καὶ νέαν διαθήκην, ἵνα ὅταν ἀκούσῃ φωνὴν ξένην καὶ σύγγραμμα ἢ ποίημα ψευδές, μὴ δέξηται αὐτὸ ὡς ἀληθινόν, ἐπειδὴ ἔστιν εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν λεγόμενον*. Deinde meminit apocalypseos S. Pauli, quae non sit apostoli, sed eius haeretici, unde Paulicianorum secta orta sit, itemque apocalypseos suppositae S. Ioannis. Deinde pergit: *δεῖ δὲ τὸν γραμματικὸν καὶ τὰ Ἑλληνικὰ βιβλία γινώσκειν· εἰσὶ γὰρ καὶ ἐν αὐτοῖς ὁμώνυμα βιβλία ψευ-*
28 *δῆ, οἷον ἡ ἀσπὶς Ἡσιόδου καὶ τὰ Θηριακὰ Νικάνδρου κτλ.* Quae si non indocte disputata sunt, scito etiam mythologiae nostrum haud expertem esse: *περὶ μὲν τοῦ Μεγαπέν-*

θους ἡ αἰτία ἐστὶν αὕτη· ὅταν ἡρπάγη ἀπὸ τοῦ Μενελάου ἡ Ἑλένη, πενθοῦντος αὐτὴν παντὸς τοῦ οἴκου, ἐτέχθη παῖς τῷ Μενελάῳ καὶ ἐκλήθη Μεγαπένθης παρὰ τὸ μέγα πένθος τοῦ οἴκου· περὶ δὲ τοῦ Τισαμένους ἐστὶν οὕτως· ὅταν ἐτιμωρήσατο τὴν Κλυταιμνήστραν ὁ Ὀρέστης, ἐτέχθη αὐτῷ παῖς καὶ ἐκλήθη Τισαμένης, παρὰ τὸ τίσασθαι αὐτήν, τουτέστιν ἀνταποδοῦναι. Adde quae sequuntur ad verba grammaticae „*διώνυμον δὲ — Πάρις*“ § 14 disputata: *ἀναστροφὴ δέ ἐστιν ὑγεία ὅρου· ὅρος δέ ἐστιν ὁ τὸ ὄν τί ἐστι σημαίνων· ὑγιαίνει δὲ ὁ ὅρος ἐν τῇ ἀναστροφῇ οὕτως, οἷον πᾶς ἄνθρωπος γελαστικόν, καὶ πᾶν γελαστικὸν ἄνθρωπος. νοσεῖ δὲ ὁ ὅρος οὕτως, οἷον πᾶς ἄνθρωπος δίπους· ἐὰν ἀναστρέψας εἴπῃς, πᾶν δίπους ἄνθρωπος, οὐκ ἀληθεύει ὁ ὅρος. οὐ γὰρ μόνος ὁ ἄνθρωπός ἐστιν δίπους, ἀλλὰ καί ὁ ἀετὸς καὶ τὰ τοιαῦτα. ἡ δὲ αἰτία τοῦ καλεῖσθαι αὐτὸν Πάριν ἐστὶν αὕτη, ὡς ἐν τοῖς μύθοις γέγραπται τῶν Ἑλλήνων· μαχεσαμένων τῶν τριῶν θεῶν Ἀθηνᾶς, Ἥρας καὶ Ἀφροδίτης περὶ τοῦ χρυσοῦ μήλου καὶ δικαστῶν ἐλθόντων ἐπὶ τῇ μάχῃ αὐτῶν, ἦλθε πρὸ πάντων ὁ Ἀλέξανδρος, καὶ διὰ τοῦτο κέκληται Πάρις, διὰ τὸ παριέναι πρὸ πάντων.* Ms. p. 312 sequitur conspectus formarum verbi, quibus subiunguntur haec: *καὶ ταῦτα μὲν ἐν συντόμῳ διεξήειμεν. καθόλου δὲ ἐν τῷ ῥηματικῷ Γεωργίου καὶ Ἀπολλωνίου, εἰ θεῷ φίλον, εἰσόμεθα.* — Velim etiam haec scholia aliquando integrum foras edantur. Namque etiamsi multa in iis sunt plané inepta, tamen non poterit de omni eorum ratione et qualis ultimis istis temporibus fuerit artis grammaticae tractatio apte iudicari, nisi omnibus prolatis et contextu eodem, quo in Mss. leguntur, servato. Accedit quod utique molestum est, decurtatis atque excerptis uti, ubi semper timendum ne gravioris aliquid momenti nobis ab editore subtractum sit.

§ 10. 29

Scio lubricum esse, litteratores Byzantinos ad certas successiones describere velle; neque, si eiusmodi periculum faciam, aliud mihi volo, nisi ad aliqua tandem lineamenta breviter revocare, quae passim et disiecte disceptata sunt in antecedentibus. Censeo igitur primis Cpolitanae disciplinae temporibus dandam esse conceptionem grammaticae Dionysii Thracis quae vocatur. Exinde floruisse Theodosium Alexandrinum, qui sive compendium istud accentuum, cuius interpretatione olim Dionysio pro-

ludi solebat, ipse praefixit grammaticae, sive ex epitoma eius, ad quam Herodiani prosodiam catholicam coarctaverat, praefixa erat ab Choerobosco, certe eorum, qui secundum Dionysium grammaticam studiosae Byzantiorum iuventuti interpretarentur, videtur fuisse antiquissimus omnium. Quod ad cetera eius opera attinet, vides ex catalogo eorum delendam esse grammaticam Theodosii, tractatum περὶ ὅρου etc., cf. supra § 4; 8; 9. — Vere scripsit: 1) epitomam Herodiani, quae vulgo tribuitur Arcadio, v. § 5. 2) canones isagogicos de flexione nominum substantivorum atque verborum, quos edidit Bekkerus Anecd. Vol. III, p. 975—1061: quibus item grammaticae, quae ad Dionysii compendium tradi solebat, usurpationem munire atque amplificare voluisse putandus est. Hos deinde commentario uberrimo instruxit Choeroboscus, v. Bekk. Anecd. p. 1180—1296 [14]), cuius aetatem Goettlingius Theodos. p. XIII eo definit, quod vocatur doctor oecumenicus, Musei oecumenici institutio autem abolita est per Leonem Isaurum, ut vixerit ante a. 730 p. Chr. Accuratius tempora circumscripseris inde, quod citatur ab eo Stephanus Byzantius. ap. Bekk. p. 1201, [in editione Gaisford. p. 326, 7] quem grammaticum Westermannus nuper verisimiliter putavit vixisse ineunte et medio saeculo sexto, sub Iustiniano imperatore; Steph. B. p. V. Simul, cum ap. Bekk. p. 1182 [in ed. Gaisf. p. 29, 3 et 91, 10] μοναστήριόν ἐστι παρὰ τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι κτλ. Choeroboscus de urbe Alexandria sic loquatur, ut nondum hoc tempore a Saracenis expugnata fuisse videatur, concluseris eum vixisse ante a. 638 [15]). Ceterum hic eorum, qui laetiora ista scholae Byzantinae tempora attigerunt, quibus multus ab imperatoribus honor tribueretur frequentissimaque litteris antiquis bibliotheca pateret, facile novissimus fuerit. Successit deinde ea secta, quae nihil praeter Dionysium tradere, nihil nisi grammaticam interpretando commentari audebant; quo referenda ea nomina, quae comparent in Scholiorum collectione Bekkeriana, de quibus expositum est § 7. Diuturniorem traditionem, antequam ad certam formam condita est, experta esse videbatur ea notarum congeries, quae edita est a Goettlingio, v. § 8, quam post Etymologicum Magnum profligatam

---

14) [Georgii Choerobosci dictata in Theodosii canones nec non epimerismi in psalmos. E codd. mscr. edidit Th. Gaisford, T. 1—3, Oxonii 1842.]

15) Similiter in Crameri Anecd. II, p. 237 Λάγειον· οὕτως λέγεται τὸ ἱπποδρόμιον Ἀλεξανδρείας. Ibid. p. 188 inter alia nomina imperatoria laudatur nomen Iustini.

esse cerniter ex p. 10, 26 ed Goettl. Eiusdem indolis sunt quae nuper in Anecdotis Oxoniensibus Vol. III et IV passim edidit Cramerus, et opuscula grammatica Manuelis Moschopuli Cretensis, edita a Titzio Lips. 1822, qui vixit sub Palaeologis. Ultimis denique saeculis etiam ea collectio assignanda videtur, qua de dictum est § 9.

D. Dorpati M. Ianuario A. D. MDCCCXL.

[In Bezug auf Choeroboscus verweist Preller in einer handschriftlichen Note am Schluss dieser Abhandlung auf Eustathius Thessalonicensis in hymnum pentecostalem S. Io. Damasceni bei Mai Spicilegium Romanum, T. V, Rom 1841, pg. 166, der von denen, die dem Iohannes Damasc. einen Beinamen gegeben hatten, sagt: *οὓς ἐγὼ μισῶ καθὰ καὶ ἄλλους οἵ καί τινα σοφὸν δ ι δ ά σ κ α λ ο ν π α λ α ι ὸ ν πολλοὺς* (l. *πολλὰ* oder *πολλοῖς*) *καὶ πολλαχῶς ἐν λόγοις ὀμματώσαντα φερόμενοι φθόνῳ Χοιροβοσκὸν ἐπωνόμασαν, οὐκ ἂν ἐκεῖνον οὕτως ἑαυτὸν δηλοῦντα, ὅτε γράφων ἐχαρακτήριζε τὰ οἰκεῖα. — — ὅσοι δὲ Χοιροβοσκὸν τὸν τὴν λογίοτητα τοσοῦτον σιλλαίνουσιν, εἶεν ὑπὸ συβώτῃ ἀγόμενοι* etc.]

IV.

DE PRAXIPHANE PERIPATETICO INTER ANTIQUISSIMOS GRAMMATICOS NOBILI DISPUTATIO.

(Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre prius anni MDCCCXLII habendarum. Dorpati, ex officina I. C. Schünmanni viduae. 4°.)

3 Aristotelis doctrina sicut ad omnes disciplinas, quae in accurata rerum cognitione diligentique observatione positae sunt, excolendas mirifice valuit, ita grammaticam quoque artem post Sophistas et Platonem vehementer auxit adeoque promovit, ut qui postea huic doctrinae maxime incubuerunt, Stoici atque Alexandrini, solida iam fundamenta posita acciperent, quibus admirabile illud, quod ad nostra deinceps tempora duravit, aedificium superstruerent. Discipulis in his studiis antecelluit ipse Aristoteles, qui et generalem quae dicitur grammaticam partibus orationis accuratius dispescendis mutationibusque iis, quibus nomina et verba in orationis contextu afficiuntur, diligenter observandis auxit egregie [1]), neque eam grammaticam quae ab omni tempore cum philologia coniunctissima fuit neglexit, quae in scriptoribus singulis interpretandis et in verborum significationibus secun-
4 dum rationem et consuetudinem dicendi aperiendis versatur [2]).

---

1) De Interpr. c. 2 et 3; Poët. c. 21. Cf. Classen de Gramm. Gr. primord. p. 52 sq., R. Schmidt de Stoic. Gr. p. 7. [Meier commentationis sextae de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem particula II, index scholarum univers. Halens. 1842, pg. VII.]

2) Cf. Poët. s. 26 et Lehrs de Stud. Arist. p. 48 sqq. In catalogis librorum Aristotelicorum citantur *ἀπορήματα Ὁμηρικά, Ἡσιόδου, Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδου, Χοιρίλου*, quae tamen magis ad res ac sententias pertinuerint, quam ad grammaticam. Ex quaestionibus Homericis haud pauca per Porphyrium exstant in scholiis Homeri (editis nonnulla accesserunt in anecdotis Hamburgensibus a me publicatis Dorp. 1839, 4), sed in quibus excer-

Secuti sunt discipuli, quorum nullus est quin grammaticam seu generalem illam sive hanc particularem commentario aliquo edito attigerit. Sic Theophrastus atque Eudemus opera scripserunt *περὶ λέξεως*, quibus de partibus orationis variisque ex quibus verborum significationes suspensae sint causis accurate quaesiverant [3]). Adde Aristoxenum, qui de musica litterarum natura disputaverat et quandam accentuum disciplinam instituisse videtur [4]), et Heraclidem Ponticum itemque Demetrium Phalereum, auditorem Theophrasti, quorum inter scripta varia grammatici argumenti opera recensentur [5]). Praeter ceteros omnes autem grammatici nomen Praxiphanes posterioribus meruisse videbatur, de quo cum nondum data opera a quoquam disputatum esse videam [6]), attinebit quae de vita eius atque scriptis vel exstant vel probabili coniectura effici possunt ita componere atque digerere, ut quid de grammatica ceterisque litteris meruerit quoad eius poterit accuratissime exponatur.

De vita rebusque Praxiphanis parum constat. Apud Clementem Alexandrinum Strom. I, p. 365 Pott. vocatur Dionysophanis filius et Mitylenaeus, *ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς ὡς νῦν ὀνομάζομεν πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος*, inter Rhodios illustriores numeratur a Strabone XIV, p. 655 *τῶν περὶ λόγους καὶ φιλοσοφίας ὅ τε Παναίτιος αὐτὸς καὶ Στρατοκλῆς καὶ Ἀνδρόνικος ὁ ἐκ τῶν περιπάτων καὶ Λεωνίδης ὁ Στωικός, ἔτι δὲ πρότερον Πραξιφάνης καὶ Εὔδημος καὶ Ἱερώνυμος*, eandemque famam sequitur Epiphanius adv. Haeres. lib. III. T. II, p. 1090 B. Dubitaveris an idem fuerit Mitylenaeus et Rhodius, sed constat certissime Peripateticum et grammaticum eundem esse, Peripateticum vero memorari a Strabone vel inde manifestum est,

---

pendis Porphyrium subditicio libro usum esse existimat Lehrsius l. c. p. 227. [Cf. Franc. Ritter in commentario in Aristot. poet. pg. 264. Düntzer Rettung der aristotel. Poetik pg. 102.]

3) Brandis über die Schicksale der Aristotel. Bücher p. 33 sq. Fragmenta libri Theophrasti plenissime collegit Maxim. Schmidt de Theophrasto rhetore, Hal. Sax. 1839, p. 37—54.

4) Classen l. c. p. 34; cf. Lehrs l. c. p. 51.

5) De Heraclide v. Diog. L. V, 87, de Demetrio ib. 80.

6) Cum neque Suidas de Praxiphane commemoret neque Athenaeus, quorum ille scriptorum deperditorum vitas, hic fragmenta titulosque plerosque suppeditare solet, siluerunt de eo etiam recentiores, velut Schoellius, qui semel tantum idque leviter atque in re alieniore Praxiphanis meminit Vol. I, p. 241, inter commentatores Sophoclis. Prae ceteris v. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 503 et Classen l. c. p. 8 sq.; 71.

quod coniungitur cum Eudemo et Hieronymo. Sequitur ergo ut
Praxiphanem in altera civitate natum, in altera diu versatum vel
civitatem adeptum esse statuamus, ut solent litterati eorundem
temporum homines a pluribus simul civitatibus vel ipsi sese re-
petere vel ab aliis scriptoribus cognominari. Ex utra oriundus
fuerit, utrubi disciplinam acceperit eo difficilius est diiudicatu,
quod in utraque insula Peripateticorum studia egregie floruerunt;
nam ex Lesbo, quam ipse Aristoteles visitaverat, prodierunt Theo-
phrastus, Phanias, Cratippus, Aristoteles iunior [7]), ex Rhodo ii,
quos recenset Strabo, Eudemus, Hieronymus, Andronicus: ut utro-
6 bique tanquam familiaris eius scholae successio exstitisse videa-
tur. Theophrasti auditor (*μαθητής*) et sodalis (*ἑταῖρος*) Praxi-
phanes vocatur a Proculo in Prolegomenis ad Hesiodum atque ad
Platonis Timaeum (v. infra fr. V. VI.), unde cernitur eum prae-
cipue Athenis philosophia Peripatetica institutum fuisse. Theo-
phrastus autem scholae princeps exstiterat Lyceumque regen-
dum accepit mortuo Aristotele Ol. 114, 3 = a. Chr. 322, unde
licet de temporibus discipuli iudicare. Attamen ipse etiam scho-
lae praefuisse perhibetur et memorantur qui ab eo instituti fue-
rint discipuli, velut Plato aliquis iunior ap. Diog. L. III, 109 *καὶ
ἄλλος Περιπατητικὸς μαθητὴς Ἀριστοτέλους καὶ ἕτερος
Πραξιφάνους*. Quid quod illum etiam philosophum, qui ipse
neminem a se auditum esse iactabat, sed cuius sapientiam ceteri
a variis praeceptoribus derivare conabantur, quod etiam Epicu-
rum Praxiphanis disciplina fructum esse memoraverat is, qui
philosophorum historiam atque tempora accuratissime persecu-
tus erat, Apollodorus ap. Diog. L. X, 13 *τοῦτον Ἀπολλόδωρος
ἐν Χρονικοῖς Ναυσιφάνους ἀκοῦσαί φησι καὶ Πραξιφά-
νους*. Quod si bona fide traditur [8]), difficile est quo tempore id
factum sit statuere. Etenim Epicurus postquam pueritiam ege-
rat in Samo insula, Athenas primum visit XVIII annos natus
h. e. Ol. 114, 2 = a. Chr. 323, sed relicta urbe vel eodem anno
vel subsequenti diu apud Mitylenaeos et Lampsacenos commo-
7 ratus est, donec anno aetatis XXXVII h. e. Ol. 118, 3 = a. Chr.

7) De Aristotele v. Diog. L. V, 9, de ceteris Plehn Lesbiaca p. 214—217.

8) Mihi Epicurus omnino nonnihil a Peripateticis traxisse videtur, velut in placito de intima voluptatis atque virtutis coniunctione (v. locos in Histor. Philos. Gr. et Rom. No. 361 [No. 389 ed. sec.] laudatos), ubi praeter id, quod Aristoteles virtutem, Epicurus voluptatem primarium esse ponebat, sententiae vel ad verba conspirant; itemque in eo, quod *φρόνησιν* summam virtutem vitamque philosophando deditam optimam esse docebat.

306 Athenas iterum concessit ibique iam usque ad mortem inter sectatores suos vitam egit. Iam quonam tempore Praxiphanem ab Epicuro auditum esse putemus? Verisimillimum hoc factum esse postquam Epicurus iterum Athenas concesserat, quo tempore antequam suam scholam aperiret, ceterorum philosophorum disputationibus aliquamdiu se immiscuisse narratur ap. Diog. L. X, 2 *μέχρι μὲν τινος κατ᾽ ἐπιμιξίαν τοῖς ἄλλοις φιλοσοφεῖν, ἔπειτα ἰδίᾳ πως τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ κληθεῖσαν αἵρεσιν συστήσαντα*: eodemque ducimur si Theophrastum, quem Praxiphanes audiverat, scholae ab a. 323 demum praefuisse meminerimus. Hanc igitur computationem si sequamur, florentissima Praxiphanis aetas inciderit in tempora Demetrii Poliorcetae et Ptolemaei Lagi, fortasse etiam Philadelphi. Insecuta est aetas frequentissima illa grammaticorum, ex quibus Callimachus, qui floruit sub Ptolemaeo Philadelpho eiusque successore, ediderat librum adversus Praxiphanem inscriptum, quo de historia poetarum quae ab hoc tradita erant adnotationibus suis auxisse atque castigasse videtur, v. Vitam Arati ap. Buhlium Vol. II, p. 432 *μέμνηται γοῦν αὐτοῦ* (sc. *τοῦ Ἀράτου*) *καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην, πάνυ ἐπαινῶν αὐτὸν ὡς πολυμαθῆ καὶ ἄριστον ποιητήν.* 7

Schola Praxiphanis pro consuetudine Peripateticorum et rhetorica et philosophica fuisse videtur, verum ita ut exotericam partem magis coluerit quam esotericam rhetoricisque institutionibus adiunxerit illas, quibus maxime inter aequales eminuit, grammaticas. De Praxiphane philosopho testis est Epiphanius adv. Haeres. l. c., qui Theophrastum Aristotelis fere opiniones secutum esse, Praxiphanem autem Rhodium, cum Strato Lampsacenus nonnulla novaverit, eadem quae Theophrastus senserit tradidisse perhibet: eodemque pertinet quod inter successores 8
Aristotelis numeratur in Vita Aristotelis edita a Menagio ad Diog. L. V, 35 *διάδοχοι δὲ αὐτοῦ τῆς σχολῆς κατὰ τάξιν ἐγένοντο οἵδε· Θεόφραστος, Στράτων, Πραξιτέλης, Λύκων, Ἀρίστων, Λύκισκος, Πραξιφάνης, Ἱερώνυμος, Πρύτανις, Φορμίων, Κριτόλαος*[9]). De arte grammatica merita celebrat Cle-

9) Quo in recensu disiungendi sunt qui Aristotelem et Theophrastum in regimine Lycei secuti sunt ab iis, qui separatim scholas habuerunt. Theophrastum secutus est Strato (Diog. L. V, 58), hunc Lyco (ib. 65) [cuius fragmentum elegans exstat apud Rutilium Lupum II, 7.] Huic Aristo Ceus successit, Lyconis auditor atque sodalis (Cic. de fin. V, 5), qui vitam Lyconis, fortasse etiam antiquiorum Peripateticorum scripsit; certe Diogenes

9 mens Alex. Strom. I, p. 365 Potter *Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος*[10]) *πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο γραμματικὰ*[11]) *ἐπιγράψας. ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς ὡς νῦν ὀνομάζομεν πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος*[12]): ubi quo sensu grammaticus qui nunc dicitur opponatur grammatico secundum antiquiores dicto apertum fit ex Schol. Artis Dionysii ap. Bekk. Anecd. II, p. 729 *διττὴ δέ ἐστιν*

L. ex hoc testamenta illorum depromserit, v. V, 64 c. not. Menagii; coll. V, 70; 74; VI, 163 sq. et Ritschl Mus. Rhen. Philol. a. 1841 p. 193—200. Deinde scholam sustinuerunt Critolaus, qui cum Carneade et Diogene Romam missus est, et Diodorus (Cic. de fin. V, 5; Clem. Alex. Strom. I, p. 353 Pott.), cui si subiungamus Cratippum, Ciceroni amicissimum et magistrum M. Ciceronis filii (Brut. 71, 250; d. Off. I, 1, 1; ad. Fam. 12, 16, 2), atque alios duos incertos, idoneum locum nanciscimur Andronico Rhodio, nova recensione operum Aristotelis et Theophrasti clarissimo, quem undecimum ab Aristotele successorem fuisse testantur Scholia in Aristotelem: *Ἀνδρόνικος ὁ Ῥόδιος ὁ λεγόμενος ἑνδέκατος διάδοχος τῆς Ἀριστοτέλους διατριβῆς*, Schol. in Aristotl. de interpr. p. 94 a 21 ed. Brandis, cf. Ammonius ib. p. 97 a 19 et Ad. Stahr Aristotelia Vol. II, p. 129. Restant qui separatim scholas habuerunt, quorum nomina ceteris interposita sunt. Horum *Πραξιτέλης* ex compendio nominis Praxiphanis fictus videtur, nisi dicas scribendum esse *Πασικλῆς*, qui erat auditor Aristotelis et Eudemi nepos, ad quem nonnulli alterum Metaphysicorum librum (*α*) referebant, v. Schol. Aristot. p. 521 et 589 Brandis. [Cf. Krische die theologischen Lehren der griechischen Denker pg. 268.] Lyciscus fuerit nepos Lyconis, Aristonis aequalis (Diog. L. V, 70), Praxiphanes Stratonis aequalis erat locumque suum in recensu illo primum iuxta hunc habuisse videtur, ubi nunc legitur ambiguum illud nomen Praxitelis. Hieronymus temporibus Lyconis scholam habuit Athenis (Diog. L. IV, 42; V, 68; Cic. de fin. V, 5). Phormionem Peripateticum coram Hannibale inepte de omni re militari declamasse narrat Cic. de Or. II, 18, 75. [De Prytanide cf. Meineke Analecta Alex. p. 6.] Adde Calliphontem et Dinomachum, quorum meminit Cic. de fin. V, 8, cf. Onomast. Tullian. ed. ab Orellio et Baitero P. II, p. 118 sq., denique Erymneum, cuius meminit Athenaeus V, p. 211 E. De doctrina horum Peripateticorum in universum disputavit Chr. Petersen Berlin. Jahrbb. für wissenschaftl. Kritik, April 1836, Nr. 71. [De Demetrio Peripatetico cf. Diog. L. V, 83 c. not. Menagii et Philodemum *περὶ ποιημ.* col. XI].

10) Apud plerosque vocatur *Αὐτόδωρος*, v. Quaestiones meas de histor. Gramm. Byz. in prooem. Ind. Schol. Dorpat. Sem. I a. 1840, p. 24 not. Sicut huius nomen fluctuat inter *Αὐτόδωρος*, *Ἀντόδωρος* et *Ἀντίδωρος*, ita etiam Autodori Epicurei, cuius meminit Diog. L. V, 92; X, 8.

11) Cf. Bernhardy Eratosth. p. X.

12) [Meierus commentat. VI, 2 de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem pg. VIII scribit: *Κυμαῖος πρῶτος* [*τοῦ γραμματικοῦ ἀντὶ*] *τοῦ κριτικοῦ εἰςηγήσατο — βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας* [*ὠνομάσθαι οὕτως πρῶτον.*] *ὠνομάσθη κ. τ. λ.*]

ἡ γραμματική· ἡ μὲν γὰρ περὶ τοὺς χαρακτῆρας καὶ τὰς τῶν στοιχείων ἐκφωνήσεις καταγίνεται, ἥτις καὶ γραμματικὴ λέγεται παλαιά, οὖσα καὶ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, σχεδὸν δὲ καὶ ἅμα τῇ φύσει προελθοῦσα[13]), ἡ δὲ περὶ τὸν ἑλληνισμόν, ἥτις καὶ νεωτέρα ἐστίν, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ Θεαγένους, τελεσθεῖσα δὲ παρὰ τῶν Περιπατητικῶν Πραξιφάνους[14]) τε καὶ Ἀριστοτέλους· καὶ τῆς μὲν τέλος τὸ εὖ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ τὸ εὖ γράφειν; ubi Theagenes est antiquissimus ille Rheginus, qui Homerum primus omnium allegorice interpretatus est[15]) eoque in opere fortasse de significationibus etiam nonnullorum vocabulorum inquisivit, Aristoteles autem, qui una cum Praxiphane tanquam perfector grammaticae laudatur, procul dubio est celeberrimus Stagirita, cuius opera grammatica maximeque id quod inscripserat περὶ λέξεως si exstarent, melius quam nunc quo iure id traditum sit perspiceremus. Recentior grammatica, quam illi absolvisse perhibentur, ea est, quae rhetoricis potissimum studiis apud antiquiores inserviens, linguae Graecae consuetudinem conversatione hominum usuque forensi temere fluctuantem ad certas rationes ac regulas revocabat eoque modo normam Graeci sermonis condebat, qui sermo ad normam illam rationis elaboratus atque castigatus appellabatur ὁ Ἑλληνισμός eoque nomine opponebatur consuetudini vulgari caeco loquentium impetu vaganti[16]). Quamquam non solum id agebat haec grammatica, ut corruptio ex turbulenta consuetudine pullulans removeretur atque exscinderetur,

13) Scilicet quatenus pertinet ad litterarum sonos.

14) Bekkerus edidit Θεογένους et παρ' Ἐξιφάνους, quorum hoc emendatum est a Classenio l. c. p. 9, qui pro Theogene dubitat an ponendum sit nomen Theodectis. Θεαγένους et Πραξιφάνους est in cod. Ottoboniano, teste Bekkero Anecd. Vol. III, p. 1161 et apud Cramerum Anecd. Oxon. Vol. IV, p. 311, ubi eadem coartatius leguntur ex cod. Musei Britannici edita. [Cf. Welcker kleine Schriften I, p. 389; Prantl Geschichte der Logik I, p. 353.]

15) V. Nitzsch de Histor. Homeri Fasc. I, p. 131; Welcker Mus. Rh. Philol. a. 1832 p. 157.

16) Hoc sensu Aristoteles Rhet. III, c. 5 ait ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ ἑλληνίζειν. Cf. L. Lersch Sprachphilos. der Alten I, p. 48 sq., ubi ex Fabricio ad Sext. Emp. p. 254 citantur haec: ἡ κατωρθωμένη λέξις ἑλληνισμὸς καλεῖται καὶ πᾶν τὸ ἐκ τῆς συνηθισμένης λέξεως μετηνεγμένον βάρβαρον λέγεται, ubi λέξις dicitur sensu Peripateticorum externa orationis forma, de qua scripserunt Aristoteles, Theophrastus, Eudemus, non vocabulum, quo sensu v. λέξις usurpabatur Stoicis, qui de ἑλληνισμῷ consentiebant cum Peripateticis, v. Diocl. Magn. ap. Diog. L. VII, 59 ἀρεταὶ δὲ λόγου εἰσὶ πέντε, ἑλληνισμός, σαφήνεια κτλ. ἑλληνισμὸς μὲν οὖν ἐστι φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ.

11 verum etiam ut ex antiquiorum scriptorum oratione locupletiore et vocabulis reconditioribus abundante quae etiam nunc attinerent interpretando atque imitando exprimerentur oratorioque usui vindicarentur[17]), quocirca etiam haec, quam Aristoteles et Praxiphanes et ante eos Sophistae exercitaverunt, grammatica in interpretandis veteribus assidua erat, quod de Aristotele arguunt quaestiones de variis poetis, quorum tituli supra laudati sunt, de Praxiphane nonnulla, quibus rariores poetarum voces explicantur, fragmenta.

Vides igitur Praxiphanem inter omnes Peripateticos eum fuisse, qui in grammatica proxime ad Aristotelis laudem accesserit. Namque habebat hoc antiquissima Peripateticorum disciplina, ut philosophiae litterarum cultus diligentissimus adiungeretur, quas cum omnes complexum esset admirabile illud vereque unicum Stagiritae ingenium, postea veluti partitione facta alter discipulorum hanc, alter illam disciplinam pro sua ingenii indole suisque viribus eligebat atque excolebat. Ita Theophrastus in naturalibus maxime disciplinis legumque antiquitatibus versabatur, Aristoxenus in musica, Dicaearchus in geographia, Clearchus Solensis in historia morum, alii in aliis doctrinae partibus. Rhetoricam, cui Aristoteles pomeridianas discipulorum exercitationes destinaverat, quibus simul grammatica illa oratoria constituebatur, post eius decessum Theophrastus summa cum laude tractabat; quem noster deinde audivit atque sectatus est, nisi quod hic grammatica illa studia, quae Theophrastus minus curasse videtur, impensiore opera colenda sibi sumsit. Mansit tamen etiam apud hunc coniunctio grammaticae cum rhetorica, quae Peripateticorum
12 grammaticae propria erat, cuius ἔργον erat τὸ τὸν ἔμμετρον καὶ πεζὸν λόγον τεχνᾶσθαι, τέλος δὲ τὸ μὴ ἁμαρτάνειν περὶ λέξεως, ut utar verbis Schol. Dionysii p. 659 ed. Bekk. Hinc maxime discrepabat grammatica Stoicorum, qui cum logica sua non solum cogitandi sed etiam loquendi, quippe quo cerneretur cogitatio, rationes perquirerent, rhetoricam et grammaticam logicae adiunxerunt posterioremque disciplinam ita maxime coluerunt, ut naturales logicasque causas vocis, litterarum, vocabulorum, partium orationis, flexionum nominis atque verbi, particularum denique persequerentur, quibus studiis grammaticam philosophicam, quae apud Peripateticos circa elementa substite-

17) Hoc sensu Schol. Art. Dionys. p. 656 finem grammaticae esse dicit τὸ διὰ τοῦ ἑλληνισμοῦ τὰ ἀσαφῆ σαφηνίσαι, ubi τὰ ἀσαφῆ sunt obsoletiora antiquiorum scriptorum vocabula, quae interpretando atque imitando vindicantur τῇ σαφηνείᾳ.

rat, penitus absolverunt, ut etiam nunc, nonnullis mutatis, Stoici optimi earum quaestionum, quae philosophicam grammaticam spectant, institutores habeantur. Verum tamen Stoici cum in interpretandis scriptoribus vocabulorumque significatibus exponendis artificiosiore disputandi genere uterentur, quod a grammaticorum Alexandrinorum simplicitate atque usu abhorreret, factum videtur ut hi, saltem antiquiores, in grammatica colenda vel prorsus abstinerent a philosophis, vel Peripateticos potius quam illos sequerentur[18]). Contra Pergameni Stoicos sectabantur prae- 18
ceptoribusque suis, ut mittam falsam interpretandi rationem, illud saltem debebant, quo Alexandrinis multum praestabant, quod grammaticam scientiam atque artem esse et cum logica copulandam, non experientiam meram atque irrationalem intelligebant[19]). Potest vero etiam alterum illud, quo Pergamenorum

---

18) Secus iudicat Rud. Schmidt de Stoicorum grammatica p. 32 „Etenim cum Alexandrinorum grammaticorum, priorum quidem eorumque qui proprie neque Heyniano sensu ita dicuntur, vix uno alterove exceptis nemini ulla neque cum Peripateticis, id quod minus recte alicubi iudicasse Prellerum memini, neque cum Stoicis necessitudo intercederet vel consortio, omniumque studia unice ampla eruditione et assidua indefessaque lectione et observatione in poetis scriptoribusque continerentur etc.“ Cui ut concedam Alexandrinos philosophiam non nimium curasse, tamen illud quidem adduci vix possum, ut omni philosophia rudes fuisse arbitrer qui tam difficilem artem tam scienter callideque descripserint. Sequebantur autem haud dubie in philosophando eclecticam rationem, verum ita ut Peripateticis litteris impensius studerent. Constat enim Ptolemaeum Philadelphum Aristotelis studiosissimum fuisse, opera eius in bibliotheca Alexandrina collegisse, Stratonem ad se adscivisse, ipsum de vita ac scriptis Stagiritae scripsisse, v. Stahr Aristotelia Vol. II, p. 61 sq. Adde quod Callimachus, Aristophanes Byzantius aliique Aristotelis scripta tractaverant, v. ib. p. 98 sq.; Polem. fragm. p. 131, et quod Hermippus, Callimachi discipulus, tanto cum studio in Aristotelis et Theophrasti scriptis, etiam Metaphysicis versatus est, ut nomen Peripatetici mereretur. Adde inter ipsos grammaticos Ptolemaeum Peripateticum, cuius de grammatica definitionem servavit Sext. Empir. adv. Math. I, 3, cf. Schol. Art. Dionys. p. 730 Praeterea a Diog. L. in catalogis *τῶν ὁμωνύμων* identidem Peripatetici Alexandrini memorantur, velut V, 61 *Στράτων — ὄγδοος Περιπατητικός, βεβιωκὼς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ*, qui a Lampsaceno distinguitur, VI, 164 *Ἀρίστων — ἕκτος Ἀλεξανδρεὺς Περιπατητικός*: ut haec philosophia suam cathedram ac successionem in Museo Alexandrino habuisse videatur, quod confirmatur narratione hac ap. Dion. Cass. LXXVII, 7 *καὶ δὴ καὶ τοὺς φιλοσόφους τοὺς Ἀριστοτελείους ὠνομασμένους τά τε ἄλλα δεινῶς ἐμίσει* (Caracalla), *ὥστε καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατακαῦσαι ἐθελῆσαι, καὶ τὰ συσσίτια ἃ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ εἶχον τάς τε λοιπὰς ὠφελείας ὅσας ἐκαρποῦντο ἀφείλετο, ἐγκαλέσας σφίσιν ὅτι συναίτιος τῷ Ἀλεξάνδρῳ τοῦ θανάτου Ἀριστοτέλης γεγονέναι ἔδοξε.*

19) Inter Alexandrinos Ptolemaeus demum Peripateticus et Asclepiades Myrleanus grammaticam non *ἐμπειρίαν*, sed *τέχνην* esse statuebant,

14 grammatica ab Alexandrinorum distabat, principiorum contrarium quodam modo ad Peripateticae ac Stoicae grammaticae discrepantiam referri. Etenim quam Alexandrini profitebantur *ἀναλογίαν*, eam apertum est respondere normae isti atque regulae rationis, qua Peripatetici consuetudinem vulgarem cohibebant purumque illum ac politum sermonem condebant, quem vocabant *Ἑλληνισμόν*; praeterquam quod Peripatetici artis oratoriae usum spectabant, Alexandrini grammaticam tanquam propriam artem, tam a rhetorica quam a logica separatam tractabant. Cratetem vero illum Mallotem, Pergamenorum principem, satis notum est in eo opere, quo *ἀνωμαλίᾳ* contra Aristarchum patrocinatus est, ab opere Chrysippi profectum esse. Hoc si teneamus, etiam illud expediri potest quod per mihi mirum videtur, scilicet quod in locis supra laudatis Aristoteles atque Praxiphanes grammaticam perfecisse affirmantur, Stoicorum autem merita, quae maiora erant, ne uno quidem verbo memorantur. Crediderim equidem fontem harum notationum fuisse grammaticum aliquem Alexandrinum [20]), eumque, quod *ἀναλογίαν* suae disciplinae arctissime coniunctam esse cum Peripateticorum *ἑλληνισμῷ* intelligeret, repudiatis Stoicis ab illis semina eius artis repetere voluisse, quam deinde et ipse et ceteri Alexandrini profitebantur.

Superest ut dicam de scriptis et fragmentis Praxiphanis, quotquot etiam nunc exstant. Num philosophiam libris quoque
15 editis explicaverit haud constat; certe nihil ad philosophiae Peripateticae explicationem adiecit, quod vel diserto Epiphanii testimonio supra p. 7 apposito confirmatur, vel inde, quod in toto scholiorum in Aristotelis libros a veteribus interpretibus elaboratorum corpore, quantum eius Brandisii cura nunc profligatum est, ne semel quidem Praxiphanis mentio iniicitur. Qui exstant tituli operum poeticam maxime, quae a Peripateticis praeeunte

v. Sext. Emp. adv. Math. I, 3, 60, ubi notissima illa definitione Dionysii Thracis exhibita adiunguntur haec: *οὗτος μὲν οὖν οὕτως. ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ Πτολεμαῖος ὁ Περιπατητικός, ὅτι οὐκ ἐχρῆν ἐμπειρίαν εἰρηκέναι τὴν γραμματικήν· αὐτὴ μὲν γὰρ ἡ ἐμπειρία τριβή τίς ἐστι καὶ ἐργάτις, ἄτεχνος δὲ καὶ ἄλογος, ἐν ψιλῇ παρατηρήσει καὶ συγγυμνασίᾳ κειμένη. ἡ δὲ γραμματικη τέχνη καθέστηκεν.* Similiter Asclepiades ib. I, 3, 7.

20) Fortasse Asclepiades Myrleanus, qui vixit tempore Pompeii Magni et scripsit opus *περὶ γραμματικῶν*, quo historiam grammaticae et grammaticorum tractaverat, unde multae notationes ad nos pervenerunt, partim per Suidam, partim per alios, veluti per Scholion illud Plautinum, de cuius fonte probabiliter Nitzschius de Pisistrati editione Homeri p. 17 et ad Odyss. XI, p. 336.

magistro diligentissime tractari solebat, litterarumque historiam et grammaticam respiciunt. Quo pertinet primum quod a Diog. L. III, 8 significatur opus, dialogica forma elaboratum: *ὁ δ᾽ οὖν φιλόσοφος* (Plato) *καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους*, quod recte Fabricius Bibl. Gr. Vol. III, p. 503 interpretatur: Scripsit diatribam de poetis, qua colloquentes induxit Platonem veteris Academiae principem et Isocratem[21]). Quae notatio multis nominibus digna est quae diligentius excutiatur. Etenim primum constat quidem etiam ab Aristotele ceterisque Peripateticis dialogos scriptos fuisse, neque dubium est quin dialogus Praxiphanis Aristoteleum magis, quem Cicero dicit[22]), dialogorum componendorum morem, quam Platonicum secutus sit, sed habebat hoc unum ille sibi proprium, quod satis notabile est, 16
quod Aristoteles, Dicaearchus, Aristo, ceterique, quorum eiuscemodi scripta novimus, Peripatetici fabulosos potissimum homines colloquentes inducere consueverant, Praxiphanes autem recentibus et virentibus adhuc Platonis atque Isocratis auctoritatibus usus erat; unde apparet Krischium, qui nuper de dialogis Aristotelicis eximie disputavit, parum accurate Ciceroni hanc laudem attribuisse, quod pro fabulis florentia adhuc memoria nomina in dialogos suos, ad Aristoteleum morem et ipsos compositos, primus omnium induxerit[23]). Deinde etiam illud mirum est, quod Platonis et Isocratis personis usus erat Peripateticus. Namque quod idonea quidem illa nomina fuerint, quibus gravissima

---

21) Sensum huius notationis parum assecutus est K. Fr. Hermannus Gesch. u. System der Platon. Philos. Vol. I, p. 80.

22) Cic. ad Att. XIII, 19 Quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον* morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Cf. Krische die theolog. Lehren der griech. Denker p. 18, qui summam dissertationis suae sic comprehendit: Was Cicero zunächst von Aristoteles aufnahm und zum Character des *Ἀριστοτέλειος* mos stempelt, besteht darin, dass er nicht einen Sokrates einführt, der die Mitpersonen wie Schüler behandelt und finden lässt, sondern dass er jeder Person einen vollständigen und zusammenhängenden Vortrag seiner Schule (orationes perpetuas) dergestalt übergiebt, dass nach Prüfung der verschiedenen Lehren dem Repräsentanten seiner Ansicht d. h. seiner durch vorsichtige Würdigung des Einzelnen gewonnenen und geschützten Denkart die Oberhand bleibt.

23) Ipse Cicero de Senect. I, 3 Omnem autem sermonem, inquit, tribuimus non Tithono, ut Aristo Ceus (sic scribendum pro Chio, v. Ritschl Mus. Rh. Philol. 1841 p. 193 sq.), parum enim esset auctoritatis in fabula, sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio.

de carminibus pangendis singulisque poetis mandaretur disceptatio, nemo facile infitias iverit; neque in hoc quispiam offenderit, quod Platonem Isocrate familiariter utentem finxerat, quos duumviros arta consuetudine iunctos fuisse cum ipsius Platonis Phaedrus loco notissimo p. 278 extr. testificatur, tum aliunde satis bonis testimoniis[24]) ratum atque confirmatum est. At
17 enimvero constat inter Peripateticos et Isocratios tam acerbam inde ab ipsis utriusque successionis principibus exarsisse contentionem atque inimicitiam, ut Praxiphanem Peripateticum illius persona usum esse permirum utique videatur, quem ipse Aristoteles etiam dicteriis lacessisse tradatur[25]). Quam dubitationem equidem non video quo modo expediam, nisi Isocratem aut ita inductum esse statuamus, ut decreta eius repudiarentur ac refellerentur[26]), aut Praxiphanem suspicemur in his liberiorem disciplinam secutum esse, ut missis istis, quibus sua atque opposita schola sese invicem irritabant, sententiarum divortiis, ipse docto et amabili artis oratoriae magistro tantum tribueret, ut cum philosopho reverendo, qui et ipse poetico instinctu ferebatur, de carminum ratione et proprietatibus singulorum poetarum confabulantem facere non dubitaret.

Alius libri memoriam servavit Philodemus Epicureus in fragmento *περὶ ποιημάτων*, quod ex voluminibus Herculanensibus Oxonii formis lithographicis expressis nuper Parisiis edidit F. Duebnerus, p. 13: *Πραξιφάνης δ' ἕτερα μέν τινα λέγει περὶ τῆς ἀρετῆς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ποιημάτων*: quod opus an idem fuerit cum colloquio illo Platonis atque Isocratis in tanta memoriae obscuritate quaeri quidem potest, sed nulla cum probabilitate, praesertim cum illius aetatis scriptores et libris fera-
18 cissimi esse solerent et idem argumentum pluribus variare scriptionibus, veluti ipse Aristoteles et de poetica scripsit et de poematis et de poetis[27]).

---

24) Dubitavit de hac familiaritate Sauppius in Zimmerm. Zeitschr. f. Alterth. 1835 n. 50 p. 407, sed argumentis parum idoneis, v. K. Fr. Hermann l. c. p. 123 et 567. Ceternm memorabile quod narrat Diog. L. IV, 2 Speusippum *παρὰ Ἰσοκράτους τὰ καλούμενα ἀπόρρητα* edidisse, quae arcana ad vitam Platonis sermonesque inter Platonem atque Isocratem habitos pertinuerint, unde dixeris origines epistolarum Platonicarum repetendas esse, quas haud diu post mortem magistri a discipulo aliquo vel familiari eius editas esse nunc pleriqne censent, v. K. Fr. Hermannus l. c. p. 424, qui et ipse de Speusippo cogitat, et quorum iudicia ab eodem p. 591 allegantur.

25) V. Luzac lectt. Att. p. 117 sq.

26) [Sic Heraclides Ponticus in dialogum *περὶ ἡδονῆς* Epicurum *κωμικῶς* induxisse fertur, Diog. L. V, 88, cf. Krische l. l. p. 328.]

27) V. Ad. Stahr in Annal. Halensibus a. 1839 no. 207 sqq. [Fr. Ritter

Praeter haec opera apud Marcellinum Vit. Thucyd. § 29, qui locus est de temporibus Thucydidis historici, Praxiphanes citatur ἐν τῷ περὶ ἱστορίας[28]. Formulam tituli haud integram esse suspicatur Ritschelius de vita Agathonis p. 2, omninoque non ipsius scriptoris, sed eius esse videtur, qui hunc locum primus excerpsit, ut solent apud veteres qui testimonium aliquod alicunde allegant, non verum totius operis titulum citare, sed illius, in quo modo studiis suis versabantur, sectionis vel capitis argumentum compendio aliquo formulae significare. Ita hoc quoque loco factum videtur, sed ipsa significatio tam obscura est, ut quae res in hoc sive libro sive capite tractatae fuerint haud facile quispiam expiscetur; nisi dicas, cum in ipso fragmento agatur de aula Archelai regis Macedonici, hospitalitate erga poetas celeberrimi, et de variis qui hanc aulam celebraverant poetis, etiam hunc librum ad historiam poeseos atque poetarum pertinuisse. Exstitisse autem opus Praxiphanis, quo litterarum historia, quam aetate subsequenti inter Alexandrinos maxime coluit Callimachus, accuratius quam a prioribus et ita ut poetarum maxime res tractarentur exposita erat, hoc vel commentarius ille ipsius Callimachi comprobat, de poetis nobilibus adversus Praxiphanem editus, de quo dictum est supra pag. 7.

Quae praeter haec servata sunt fragmenta, maximam partem grammaticam spectant. Alio loco (frgm. IV) de particulis minutioribus disputatur enuntiatis haud temere interponendis, alio 19
(frgm. V) exordium Reipublicae Platonicae iudicatur, alio (frgm. VI) prooemium Hesiodi de operibus et diebus carminis in antiquissimis exemplis haud inveniri traditur, aliis denique (frgm. VII. VIII) singulae poetarum glossae explicantur. Partem horum locorum nihil obstat quominus ad opus de poetis vel de poematis revocemus, quandoquidem neque Aristoteles in arte poetica de generibus tantum poeseos deque poetis singulis disputat, sed etiam de sermone poetico et de significatione verborum aliisque id genus quaestionibus. De aliis tamen verisimilius, peculiares grammatici generis commentationes ab eo editas fuisse, maxime de glossis illis singulorum poetarum.

Denique singula quae exstant fragmenta sequantur quantum satis videbatur adnotata.

Aristot. Poet. p. VI sqq. Walz Einl. zur Uebers. p. 418 sqq. Spengel in Abhandlungen der philos.- philol. Classe der bayerischen Akademie 1837, II, 1, p. 213 sqq.]

28) In editione Hudsoni est ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν, auctore I. G. Schneidero ad Demetr. de elocut. § 57.

I. Philodem. *περὶ ποιημάτων* p. 13 ed. Duebner, carminum laudem et in sermone et in rebus cerni contendens, sic pergit: *Πραξιφάνης δ' ἕτερα μέν τινα λέγει περὶ τῆς ἀρετῆς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ποιημάτων· ἐν δὲ ἐνίοτε καὶ πραγμάτων ὄντων καὶ λέξεως κενὸν εἶναι ἀρετῆς τὸ γράμμα*: qui locus sic allegatur, ut dubium sit Philodemo ipsi utrum probetur haec sententia an improbetur. Quamquam recte iudicasse Praxiphanem, quod veram laudem carminis non solis verbis et rebus aestimari posuerat, haud facile quisquam negaverit; imo egregia sententia est, si addiderat quod credibile est additum fuisse, altiore poetae spiritu opus esse, quo res et verba veluti sponte funderentur atque altiore quadam dignitate ac venustate imbuerentur. Neque aliud ille, quem de poetis disputantem fecerat, Plato praeceperit, neque praecepit Horatius in hoc: Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto, ad quem versum Commentator Cruquianus haec adnotat: „Sunt quaedam poemata, quae habent *οἰκονομίαν* et diserta probataque verba, sed interdum carent ea venustate et dulcedine quibus opus est ad movendum spectatoris animum."

II. Marcellin. V. Thucyd. § 29 p. 325 Poppo. *συνεχρόνισε δὲ* (Thucydides), *ὥς φησι Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Μελανιππίδῃ, καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος ἄδοξος ἦν ὡς ἐπὶ πλεῖστον, ὡς ὁ αὐτὸς Πραξιφάνης δηλοῖ, ὕστερον δὲ δαιμονίως ἐθαυμάσθη*. Pro *Χοιρίλῳ* in libb. erat *Χοιριδίῳ*. Cogitandum de Choerilo epico et Melanippide altero, Melanippidis prioris nepote, v. Naeke Choerili Samii q. supers. (Lips. 1817) p. 30 sq., qui simul de Nicerato disputat, secundum Aristot. Rhetor. III, 11 et Plutarch. vit. Lysandri c. 18. De Platone comico v. Meineke Histor. crit. Comic. Gr. p. 160 sq.

De Archelao turbas fecerunt Visconti Iconogr. Gr. I, p. 230 (p. 320 ed. Milan.) et cum aliis, quos citat, Ritschelius de vita Agathonis principio [29]), qui Archelai nomen vel delendum vel ad philosophum referendum putant, quos refutaverunt qui de vita Thucydidis scripserunt, Bredovius p. 11, Kruegerus p. 62, Goellerus p. 66. Etiam mihi omnia sana esse videntur. Hoc dicit Praxiphanes: Thucydides aequalis erat Platoni, Agathoni, Nicerato, Choerilo, Melanippidi, qui in aula Archelai regis vixerunt, qui rex *φιλό-*

---

29) Ritschelius etiam de Praxiphane dubitat, num huius testimonii auctor idem sit cum discipulo Theophrasti; id quod mihi neutiquam dubium videtur.

μουσος, poetarum artificumque fautor illustrissimus procul dubio etiam Thucydidem ad se invitasset, si modo fama historici suis iam temporibus inclaruisset[30]). De poetis artificibusque ad Archelaum invitatis praeter nostrum locum commemorant Aristoteles Polit. V, 8, 13 et Anonymus in vita Euripidis quae 21
tragoediis solet praemitti de Euripide, Aelianus Var. Hist. XIII, 4 de Euripide et Agathone, idem scriptor Hist. Anim. II, 21 de Agathone et Pausania, noto illo ex conviviis Platonis [et Xenophontis], ibid. XIV, 17 de Zeuxide pictore Heracleota, quem ut domum suam picturis ornaret (*ὡς αὐτὴν καταγράφοι*) ad se arcessivit. Etiam Melanippidem aliunde constat apud Archelaum vixisse, qui hunc poetam a patre Perdicca tanquam hereditarium sodalem acceperat, v. Bode Gesch. der Hellen. Dichtkunst II, 2, p. 293 sq. Denique Seneca de benefic. V, 6 [et Dio Chrysost. or. XIII, ed. Emper. I, p. 263] Socratem ab Archelao ut Athenis ad se confugeret invitatum fuisse narrat. [Cf. argument. ad Aristophanis nubes: *τὸ δρᾶμα τὸ τῶν Νεφελῶν κατὰ Σωκράτους γέγραπται — — — οὐχ, ὥς τινες, δι' Ἀρχέλαον τὸν Μακεδόνων βασιλέα, ὅτι προὔκρινεν αὐτὸν Ἀριστοφάνους*]. Si quid hallucinari liceat, hunc locum ex dialogo illo inter Platonem et Isocratem de poetis habito sumtum crediderim, quod cum temporibus optime conspirat, cum ipse Plato, quamquam longe alio consilio, Archelai regis meminerit in Gorgia p. 471 et in Alcibiade II p. 141 D.

III. Hesychius v. *διατροχάδες, εἶδος ποιήματος, ὡς ἱστορεῖ Πραξιφάνης*. Nihil aliunde de hoc carminis genere traditur. Fragmentum manifestum est ad opus *περὶ ποιημάτων* vel ad dialogum *περὶ ποιητῶν* pertinuisse.

IV. Demetrius de elocutione § 55 *τοῖς δὲ παραπληρωματικοῖς συνδέσμοις χρηστέον οὐχ ὡς προσθήκαις κεναῖς καὶ οἷον προσφύμασιν ἢ παραξύσμασιν, ὥσπερ τινὲς τῷ δὴ χρῶνται πρὸς οὐδὲν καὶ τῷ νὺ καὶ τῷ ποτέ, ἀλλ' ἐὰν συμβάλλωνταί τι τῷ μεγέθει τοῦ λόγου. — —* (§ 57) *λαμβάνεται δὲ καὶ ἐν παθητικοῖς πολλάκις ὁ σύνδεσμος οὗτος* (sc. particula *δή*), *ὥσπερ ἐπὶ τῆς Καλυψοῦς πρὸς τὸν Ὀδυσσέα·*

Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
οὕτω δὴ οἶκόνδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

(*Οδ.* ε, 203.) *εἰ γοῦν τὸν σύνδεσμον ἐξέλοις, συνεξαιρή-* 22

---

30) [Diese Erklärung der Stelle des Marcellinus hat Preller in seiner Anzeige von F. W. Ullrich's Beiträgen zur Erklärung des Thukydides im Rheinischen Museum, neue Folge, VI (1848), S. 364 f. wiederholt. K.]

σεις καὶ τὸ πάθος. καθόλου γάρ, ὥσπερ ὁ Πραξιφάνης φησίν, ἀντὶ μυγμῶν παρελαμβάνοντο οἱ τοιοῦτοι σύνδεσμοι καὶ στεναγμῶν, ὥσπερ τὸ αἰαῖ καὶ τὸ φεῦ καὶ ὁποῖόν τί ἐστιν, ὡς αὐτός φησι, τὸ καὶ νύ κ' ὀδυρομένοισιν (*Οδ. π*, 220) *ἔμφασίν τινα ἔχον οἰκτροῦ ὀνόματος.* (§ 58) *οἱ δὲ πρὸς οὐδὲν ἀναπληροῦντες, φησί, τὸν σύνδεσμον ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς τοῖς τὸ αἰαῖ καὶ τὸ φεῦ πρὸς οὐδὲν ἔπος λέγουσιν, οἷον εἴ τις ὧδε λέγοι·*

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα, Πελοπείας χθονὸς
φεῦ.
Ἐν ἀντιπόρθμοις πεδί' ἔχουσ' εὐδαίμονα
φεῦ.

ὡς γὰρ παρέλκει τὸ αἰαῖ καὶ τὸ φεῦ ἐνθάδε, οὕτω καὶ ὁ πανταχοῦ μάτην ἐμβαλλόμενος σύνδεσμος.

Videtur igitur Praxiphanes particulas *δή*, *νύ* ad rhetoricum poeticumque affectum revocasse, quod grammaticae Peripateticae consentaneum est, cum rhetorica magis quam cum logica coniunctae. Rectius de his et de omnibus in universum particulis sive quae Graecis appellantur *συνδέσμοις* in logica sua iudicaverunt Stoici, v. Diog. L. VII, 68sqq., ubi haec quaestio cum loco de enuntiatis compositis coniuncte tractatur. Sed in Praxiphane vel illud laudabile est, quod tales voculas non temere nec sine causa poni oportere, verum suam unamquamque rationem, suum locum quo aptum, quo ineptum sensum efficeret habere praeceperat. Tali modo quod causas partium orationis, etiam minimarum illarum quae plerumque negligebantur[31]) investigare coeperat, hac
23 opinor cura maxime nomen grammatici et recentioris grammaticae una cum Aristotele principis laudem meruerat. Ad singula quod attinet, secutus sum editionem Walzii Rhet. Gr. Vol. IX, p. 31, nisi quod *ὁποῖόν τι* cum Goellero ex margine Vict. Ald. dedi pro vulgato *ποῖον*. Post locum Homeri, qui mox laudatur, in codd. et edd. vet. legitur *ἔτρεψεν*, *ἐπέτρεψεν*, *ἔπρεψεν*, *ἔπραξεν*, quod verisimiliter Schneiderus corruptum esse statuit

31) De particulis neque ipse Aristoteles aliter iudicasse videtur ac plerique, coniunctioni tantum enuntiationum eas inservire, nihil per se significare, v. R. Schmidt de Stoicor. Gr. p. 48 sq. Nam parum huc attinet qui a Schneidero ad Demetrium l. l. citatur locus Problem. XIX, 20 *καθάπερ ἐκ τῶν λόγων ἐνίων ἐξαιρεθέντων συνδέσμων οὐκ ἔστιν ὁ λόγος Ἑλληνικός, οἷον τὸ τέ καὶ τὸ καί* (sic edidit Bekkerus pro vulg. *τοι*), *ἔνιοι δὲ οὐθὲν λυποῦσι διὰ τὸ τοῖς μὲν ἀναγκαῖον εἶναι χρῆσθαι πολλάκις, εἰ ἔσται λόγος, τοῖς δὲ μή, οὕτω καὶ τῶν φθόγγων ἡ μέση ὥσπερ σύνδεσμός ἐστι καὶ μάλιστα τῶν καλῶν, διὰ τὸ πλειστάκις ἐνυπάρχειν τὸν φθόγγον αὐτῆς.*

ex nomine *Πραξιφάνης*, ut scholion fuerit superioris pronominis *αὐτόν*[32]). In sequentibus in codd. et edd. desunt interiectiones *αἰαῖ* et *φεῦ*, quas inserendas esse vidit iam Muretus Var. Lect. I, 16. Qui deinde sequuntur versus sunt Euripidis ex prologo Meleagri, v. Valckenaer in Eurip. perdit. dram. reliq. p. 137.

V. Proculus in Platonis Timaeum ed. Basil. a. 1534 p. 5 *εἷς δύο τρεῖς. ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν, ὦ φίλε Τίμαιε που κτλ.] ἅμα τῇ χάριτι καὶ τῇ ὥρᾳ τῶν ὀνομάτων καὶ διὰ τῆς τροπῆς ἐπῆρε καὶ ὕψωσε τὴν ὅλην περίοδον. Πραξιφάνης δὲ ὁ τοῦ Θεοφράστου ἑταῖρος ἐγκαλεῖ τῷ Πλάτωνι, πρῶτον μὲν ὅτι πρόδηλον ὂν καὶ τῇ αἰσθήσει γνώριμον τῷ Σωκράτῃ περιέθηκε τὸ εἷς δύο τρεῖς· τί γὰρ ἐδεῖτο τοῦ ἀριθμεῖν ὁ Σωκράτης, ἵνα γνῷ τὸ πλῆθος τῶν* 24
ἀπηντηκότων εἰς τὴν συνουσίαν; δεύτερον δὲ ὅτι τὸ τέταρτος ἐξήλλαξε καὶ οὐ συμφωνεῖ τοῖς προειρημένοις. ἀκόλουθον γὰρ τῷ μὲν εἷς δύο τρεῖς τὸ τέτταρες, τῷ δὲ τέταρτος τὸ πρῶτος δεύτερος τρίτος. ταῦτα μὲν οὖν ὁ ἐκείνου μῦθος κτλ. Sequitur refutatio Porphyrii, qua insulsa ista censura bene discutitur. Decent talia Rufum istum apud Iuvenalem VII, 243, „qui toties Ciceronem Allobroga dixit." Neque vero equidem propter hoc unum iudicium vilissimi Praxiphanem ingenii fuisse cum Muetzellio de emend. Theog. Hesiod. p. 279 statuerim, sed virum a scriptoribus ad novum inventum grammaticae castigandis recentem aliquatenus excusaverim, ut solent qui primi atque recentes aliquam artem colunt in eius regulis inculcandis nimium morosi et tristes esse. Maximeque „saevas imponere leges" amant grammatici, inaequabilitatem consuetudinis ad rationis aequabilitatem adstringere soliti, quod studium ab ambitiosis ingeniis cum fastidioso nonnumquam supercilio exercetur. [Neque minus angusta erat Protagorae sophistae aliorumque de principio Odysseae censura, quam memorat Aristoteles Poet. c. 19, ubi vide interpretes.] Neque aliter in Homerum grassatus est Zenodotus, qui Praxiphani fere aequalis erat idemque a grammatica recenter suborta recens, v. Wolf Proleg. p. CCVII.

VI. Proculus in Proleg. ad Hesiod. p. 3 sq. ed. Gaisford.

---

32) Goellerus, qui restituit *ἔπρεψεν*, mire hoc interpretatur Demetrii rhet. de elocut. lib. p. 105. „Hoc dicit: quale etiam illud Homericum est *καὶ νύ κ' ὀδυρομένοισιν*, ut ipse Praxiphanes dicit: Verba *καὶ νύ κ' ὀδυρομένοισιν* decebat addi a poeta, utpote significationem verbi lamentabilis habentia."

de operibus et diebus: *ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν. οὗτος μέντοι καὶ ἐντυχεῖν φησὶν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν, Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος.* Deerat prooemium illud operum et dierum etiam in exemplo sacro, quod asservabatur in delubro Musarum in monte Helicone, auctore Pausania IX, 31, 4 *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα*
25 *οἰκοῦντες παρειλημμένῃ δόξῃ λέγουσιν ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιῆσαι οὐδὲν ἢ τὰ ἔργα καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἔριδας λέγοντες, καί μοι μόλιβδον ἐδείκνυσαν ἔνθα ἡ πηγή, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένον, ἐγγέγραπται δὲ αὐτῷ τὰ ἔργα.* Inde etiam Praxiphanes sententiam suam stabiliverit[33]).

VII. Schol. Soph. Oed. Col. v. 900 *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος, ἀντὶ τοῦ βλαύτης. τῶν δὲ ἐξηγησαμένων ἁπάντων αὐτὸ Πραξιφάνης δοκεῖ ἄμεινον ἀποδιδόναι ἀκούων τὸ ὑπόδημα, οἷον τῶν ποδῶν τὸ κάλυμμα.* In Ms. Laurentiano pro *αὐτό*, quod ex editione Romana retinuit Gaisford, auctore P. Elmsleio est *αὐτόν*, unde profectus Schoellius Gesch. der Griech. Litter. I, p. 241 scripsit haec: Didymus, Horapollon, Aristophanes von Byzanz, Androtion und ein gewisser Praxiphanes haben über Sophocles Commentare geschrieben. Ego propter positionem vocabulorum praetulerim *αὐτό*, nam *αὐτὸν* requisiveris post *ἐξηγησαμένων*, patet autem *αὐτό*, sc. vocabulum *ῥυτῆρος*, coniungendum esse cum voce *ἀποδιδόναι*: ut fragmentum hocce ac sequens potius ad opus aliquod de glossis variorum poetarum editum pertinuerit, quibus explicandis multam
26 operam impendebant antiquiores grammatici, v. Lehrs de stud. Arist. p. 43 sq. Ad rem quod attinet cf. Suid. v. *βλαύτη, εἶδος ὑποδήματος. Σοφοκλῆς· σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος, τουτέστιν*

33) Ritschl de Agathonis vita p. 2 in disputatione illa de Archelao, quam supra p. 20 attigi, de hoc loco sic scripsit: „Quod autem ex Praxiphanis illo *περὶ ποιητῶν* libro a Diogene l. c. commemorato sumpta esse Harlesius in Fabr. Bibl. Gr. III, p. 503 putat ea, quae ex Praxiphane Theophrasti discipulo ad Hesiodi Op. et D. init. affert Ioann. Tzetza (potius Proculus, v. Ranke de Hesiodi Op. et D. comm. p. 4 sq.), id confido nemini probatum iri, qui cum Tzetzae annotatis Diogenis verba diligenter contenderit.“ Diogenis verba sunt supra p. 15 exscripta. Equidem testimonium illud de prooemio Op. et D. ex dialogo de poetis sumtum esse neque affirmaverim neque tamen tam praefracte negaverim.

ἀπὸ βλαύτης, ὡς ἔχει σχήματος ἕκαστος, similiterque legitur apud Schol. Soph. ad versum praecedentem. Putabat igitur Praxiphanes *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος* esse discalceatis pedibus h. e. quocunque habitu quisque erat approperare, qua in explicatione fortasse provocabat ad hoc, quod apud poetam non solum equites, sed etiam *οἱ ἄνιπποι* a sacrificando ad opem ferendam accurrere iubentur. Longe tamen melior ea explicatio, quae nunc fere recepta est, locutionem illam significare „immissis vel detractis frenis approperare", quod ab equitibus ad pedites satis usitata figura transfertur, quam interpretationem inter antiquos secuti sunt auctores Hesychii v. *ῥυτήρ* et *ῥυτῆρες* et Triclinii ad Sophoclem l. l. Ceterum *ῥυτήρ* proprie est lorum, corrigiae, quibus cum et equi frenentur et pedes calceentur, de hac sola voce satis munita erat expositio Praxiphanis.

VIII. Bekk. Anecd. p. 348, 14 *ἄζα, ξηρασία· σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἐν ἀγγείῳ ὀλίγον ὑγρόν· οὕτω Πραξιφάνης.* Similiter Hesych. *ἄζα, ἄσβολος, κόνις, παλαιότης, κόπρος ἐν ἀγγείῳ ἀπομείνασα* et Schol. Theocrit. Idyll. V, 109, ubi pro *ἐντὶ γὰρ ἀβαί* nonnulli legebant *ἐντὶ γὰρ ἄζαι, ἐν τοῖς ἀγγείοις γὰρ* — haec adiiciuntur a scholiaste — *ἐπειδάν τι καταλειφθῇ, ξηρανθὲν ἐξάλλεται, ἢ τὸ καταλειφθὲν ἐν τοῖς ἀγγείοις ἄζα λέγεται.*

SPÄTERE ZUSÄTZE DES VERFASSERS IN DEUTSCHER SPRACHE.

Zu pg. 10, lin. 7: Und doch fragt sich, ob Aristoteles in diesem Werke darüber geschrieben hatte. Poet. c. 19 und 20 wird die *λέξις* nach doppelter Seite besprochen: *τὰ σχήματα τῆς λέξεως*, d. i. etwa dasselbe, was die Sophisten *ὀρθοέπεια* nannten, und *τὰ μέρη ἁπάσης λέξεως*, d. h. Buchstaben, Sylben u. s. w. Von dieser letztern Seite bespricht die Poetik die Sache sehr ausführlich, wenn auch vielleicht, wie Spengel vermuthet, zu Ende des cap. 21 etwas fehlen sollte. Mithin könnten die beiden Bücher *περὶ λέξεως* jene zweite Pragmatie, d. h. die *σχήματα λέξεως* behandelt haben. Oder wird in der Rhetorik davon gehandelt?

Zu pg. 11, lin. 27: So war auch die *πραγματεία τέχνης ποιητικῆς* bei Aristoteles aufs engste mit der Rhetorik verbunden, und in der Poetik hat ja Aristoteles vorzüglich den Abschnitt *περὶ λέξεως* bearbeitet, obwol er freilich nach dem Katalog bei Diogenes L. aufserdem noch ein besondres Werk *περὶ λέξεως* geschrieben haben soll. Die Poetik des Aristoteles war vielleicht in alten Sammlungen sogar mit der Rhetorik eng verbunden, wie sie ja auch jetzt gewissermafsen einen Anhang zu derselben bildet, s. Spengel in den Abhandlungen der philos.-philol. Classe der bayr. Akademie II, 1, pg. 217 ff.

Zu Anmerkung 18: Doch ist es wahrscheinlicher, dafs der Ptolemaeus, der über Aristoteles Leben und Schriften geschrieben, der spätere Grammatiker war; s. meinen Aufsatz über die Schriften des Theophrast. [Von diesem Aufsatz Preller's ist mir nichts bekannt. K.] Dafs Aristophanes und Aristarch dem peripatetischen Sprachgebrauch des Wortes *λέξις* folgten, scheint aus Charisius institut. gramm. 1, 21, 1 hervorzugehen. Charisius selbst unterscheidet *σχήματα λέξεως* und *διανοίας* in der Weise, dafs auch hier Peripatetisches zu Grunde liegen möchte.

Zu den Fragmenten des Praxiphanes: Suid. v. *χιάζειν* (vgl. Valckenaer diatr. in Eurip. frgm. p. 224; Hermann zu Aristoph. nub. v. 970): *Πραξιδάμας Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν* etc. Sollte *Πραξιφάνης* zu schreiben sein?

V.

DE LOCIS ALIQUOT PAUSANIAE DISPUTATIO BREVIS. ACCEDIT ADDITAMENTUM POLEMONIS.

(Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre alterum anni MDCCCXL habendarum. Dorpati, ex officina academica I. C. Schünmanni viduae. 4°).

Urgentibus lectionibus ne nihil huic libello praemittam, lo- 3
cos aliquot Pausaniae ita tractabo, ut ubi a novissimorum editorum Schubarti et Walzii iudicio dissentiendum mihi videatur, paucis hoc significem. Namque egregie quidem post tot priores tum illi de Periegeta emendando atque perpoliendo meriti sunt, tum qui censuras huius editionis scripserunt, Creuzerus in Notitt. litterar. Monac. 1838 No. 91—96, Westermannus in Seeb. et Jahn. Annal. 1839 Fasc. I, Siebelisius in Ephem. litterar. Hal. 1839 No. 28—33: at enimvero tot per illum scriptorem sparsae sunt corruptelae, tam parum in codicibus subsidii est (v. Schubart. et Walz. Vol. I, praef.), tam impedito denique ipse Pausanias nonnunquam utitur dicendi genere, ut frequentissima etiam nunc criseos factitandae lectionumque vel defendendarum vel impugnandarum occasio libros eius usurpantibus offeratur. Neque duumviri illi quos nominavi, homines doctissimi, rem confectam arbitrantur, quamquam decem amplius annos in editione sua praeparanda se occupatos fuisse professi sunt; quin ingenue etiam et censoribus illis gratias egerunt et si quis alius ad scriptorem suum vel emendandum vel explicandum in promtu quid haberet, ut hoc in medium proferret rogaverunt, Vol. III, praef. Vellem equidem plura haberem quae talibus viris offerre possem. Interim etiam pauca illa, quae iam enotabo, accepta fore confido; sicut 4
solent qui rei alicuius studiosiores sunt etiam minutioribus, si modo aliqua in iis inest utilitas, benevole uti.

I, 2, 4 retinendum puto quod ex codd. dedit Bekkerus *ὅσοις τι ὑπῆρχεν ὧν τις λόγος ἐς δόξαν.* Sic I, 9, 4 *τούτοις μείζονα ὑπῆρχέ πως ἢ ἄλλον πάρεργα εἶναι λόγον.*

I, 8, 3 *Εἰρήνη φέρουσα Πλούτωνα παῖδα*, satis manifestum ex IX, 16, 2 corrigendum esse *Πλοῦτον*. Nam licet subinde confundantur Pluto et Plutus (v. quos citat Siebelisius), tamen non confunduntur nisi notione et cogitatione nec sine altioris cuiusdam sensus significatione specieque allegorica, quae in hunc locum prorsus non convenit. Sermo est de signo Pluti, quod tantum discrepabat a signo Plutonis, quippe figura, aetate, attributis diversissimum, ut absonum fuisset, si alterum pro altero nominasset.

I, 13, 7 miram causam, cur Ceres vulnerasse Pyrrhum regem putata sit, commenti sunt Stackelberg Graeber d. Griech. I, p. 41 et Welcker Rh. Mus. IV, 3, p. 476. Vera causa erat, quod Pyrrhus spoliaverat thesauros Cereris Ennensis, v. Dionys. Hal. Excerpt. p. 2362 Reisk.; Suid. v. *Ἄβυσσος* et *Πύρρος*.

I, 14, 1 *ἐν δὲ τῷ Τριπτολέμου* etc. Ita in omnibus codicibus, nisi quod in duobus supra vocem *τῷ* scriptum est *δέ*. Inde Creuzerus legendum putavit *ἐν δὲ τῷ Δήμητρος*, quod praeter ea, quae contra monet Westermannus, etiam inde refutatur, quod templum illud supra fontem Enneacrunon sine dubio erat Cereris et Proserpinae, quae semper coniunctae erant, non alterum Cereris alterum Proserpinae. Sed recte puto Creuzerus de
5 templo Triptolemi dubitavit, et apparet coniungendum esse *Τριπτολέμου ἄγαλμα.* Mihi scribendum videtur *ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται καὶ Κόρης· ἐν δὲ τῷδε Τριπτολέμου κείμενόν ἐστιν ἄγαλμα*, quae ut recte intelligas, continuo subiungas quae sequuntur § 3 *πρὸ τοῦ ναοῦ τοῦδε, ἔνθα καὶ τοῦ Τριπτ. τὸ ἄγαλμα* (sic loquitur, ne hoc templum confundatur cum Eleusinio, quod in alia urbis regione erat) et deinde *ἔτι δὲ ἀπωτέρω ναὸς Εὐκλείας*, quod respondet illis *ναοὶ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μέν.* — Minus placet emendatio Schubarti Vol. III, praef., p. VI, *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ.*

I, 14, 2 *ἀδελφοὺς — θυγατέρα.* Cum in codicibus longe plurimis sit *θυγατέρας*, scrib. v. *ἀδελφιδοῦς.* — Ibidem in verbis *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ ὅσοι παρὰ τούτοις* ingeniose Siebelisius aut *ἐμνήσθησαν* excidisse aut *ὅσοι πλησιόχωροι τούτοις* legendum existimavit. Verum dicit Pausanias ni fallor Eleusinios, quos distinguere vult ab ipsis Atheniensibus neque vero appellare potuit vicinos (*πλησιοχώρους*) Atheniensium.

I, 19, 1 sane delendum est *τὸν ὄροφον*, quod ex glossemate vocis *στέγην* ortum videtur.

I, 19, 7 nullum sensum habet quod receptum est, *ἄνωθεν ὄρος*. Sine dubio scribendum *ὄρους*.

I, 20, 1 Clavierii emendatio *εἰσὶν οὐ* satis commendatur comparatione horum locorum: II, 1, 7 *τῷ ναῷ δὲ ὄντι μεγέθει οὐ μείζονι ἐφεστήκασι Τρίτωνες χαλκοῖ*, III, 24, 4 *καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαίων ἑστήκασιν οὐ μείζονες πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες*. Vulgatam ingeniose quidem defendit Westermannus; sed aliter puto loquutus esset Pausanias, si illud quod commentatur Westermannus dicere voluisset. Deinde post *εἰργασμένα* multa excidisse apertum est.

I, 32, 1 *Ἀλαζῶσι γὰρ συνήθεις ὁμοῦ τοῖς ἀνθρώποις* 6
ἐς νομὰς ἰοῦσιν κτλ. Editores contra omnes codices (nam quod in nonnullis est *ἄνοῖς*, id ipsum est compendium vocis *ἀνθρώποις*) *ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις*. Mihi vulgata lectio retinenda et sic explicanda videtur: Apes cum Scythis Nomadibus ita vagantur, ut una cum hominibus agros camposque commutent, quippe certis alvearibus non inclusae.

I, 42, 1 pro *ἐς αὐτὴν γάρ* scribendum puto *ἐς αὐτὴν ἄρα*. Idem vidit Siebelisius.

II, 1, 4 *ἐν Ἐπιδαύρῳ τῇ ἱερᾷ* Editores scrib. suspicantur *τῇ Ἀργείᾳ*. Mihi aut vulgatum retinendum aut *ἐν Ἐπιδαυρίων τῷ ἱερῷ* scribendum videtur, v. II, 27, 5.

II, 11, 6 *περιοικοῦσι καὶ τὸ πολὺ οἰκέται τοῦ θεοῦ*. In codicibus ferme semper confunduntur *οἰκέται* et *οἱ ἱκέται*, v. cap. 13, not. 17; 27, 2; 4; III, 4, 5, not. 20. Ad sensum vero longe convenientius quod scribendum existimavit Valckenarius, *οἱ ἱκέται*.

II, 34, 11 *Δήμητρος δὲ ἱερὰ πεποίηται Θερμασίας, τὸ μὲν ἐπὶ τοῖς πρὸς τὴν Τροιζηνίαν ὅροις, ὡς ἔτι ἔμενον οἱ δῆμοι, τὸ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει*. Mirum neminem dum omnium editorum in illis *ὡς ἔτι ἔμενον οἱ δῆμοι* offendisse, quae quid sibi velint equidem non video. In codicibus est *ἔτι εἶμεν ἀνήδημοι* vel *ἔτι εἶμεν ἂν εἴδη μοι*, similiter. Scribas *ὡς εἰρημένον ἤδη μοι*, nam dixerat in superioribus de eodem Cereris Thermasiae fano, v. II, 34, 6 *τὰ δὲ πρὸς θάλασσαν ἐν ὅροις τῆς Ἑρμιονίδος ἱερὸν Δήμητρός ἐστιν ἐπίκλησιν Θερμασίας*. Possis et de *λελεγμένον*, *δηλούμενον ἤδη μοι* cogitare, sed ad codicum lectiones proxime accedit *εἰρημένον*, quod simili connexu legitur IV, 5 init.

II, 36, 1 *καὶ Ἁλικὸς λόγος*. Scribendum puto *Ἁλικίνων* 7

vel *Ἁλικαίων κατάλογος*, cf. II, 27, 3. Gentile *Ἁλικῖνος* ab *Ἁλίκη* formandum ad analogiam *Ἐρυκῖνοι* ab *Ἐρύκη*, *Παλικῖνος* a *Παλίκη*: nam quod G. Hermannus Opusc. Vol. VII, p. 320 contendit, etiam *Παλικηνός* ferri posse, id mihi quidem non persuasit. Ipse Pausanias III, 16, 4 *Ἐρυκίνην χώραν*, et satis nota Venus Erycina, quae nunquam dicitur neque Erycena neque Erycaea. Tamen cives Erycae oppidi Erycaeos dictos fuisse testatur Steph. B. v. *Ἐρύκη* et Etym. M. p. 379, indeque fortasse scribendum *Ἁλικαίων κατάλογος*.

III, 19, 5 pro *μνῆμα* fortasse scrib. *ἀνάθημα*.

IV, 31, 8 scrib. v. *τὰ μὲν δὴ τοῦ λίθου Δαμοφῶν ἐστὶν ὁ ἐργασάμενος*.

V, 11, 2 verba *ὑπελθεῖν δὲ οὐχ οἷόν τε* etc. praeter illos, qui citantur, illustravit Roese in Kugleri Museo 1837 No. 27.

VII, 24, 7 scrib. v. *τοιοῦτό γε δὴ κατέλαβεν ἐν Σιπύλῳ καὶ τὸ ὄρος ἕτερον τὴν ἰδέαν γενέσθαι καὶ τὴν πόλιν ἐς χάσμα ἀφανισθῆναι*.

Haec hactenus de Pausania. — Liceat simul additamentum Polemonis subiicere, quod per litteras mihi amicus suppeditavit. Omisi enim in mea fragmentorum editione (Lips. 1838) hunc locum, ap. Schol. Eurip. Orest. v. 1632, ex cod. Florentino a Matthia editum: *Πολέμων δὲ καὶ ἐν τῷδε τῷ πρὸς Ἀλεξανδρίδην τὴν μὲν τῶν δυοῖν ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν Διοσκούρων ἀνομολογεῖσθαι, τὴν δὲ τῶν λεγομένων ζαβείρων*: quae sic emendantur a Madvigio in Emendatt. in Cic. libb. de Legg. et Acad., Hafn. 1826, p. 137: *Π. δὲ καὶ ἐν τῷ δ' τῶν πρὸς Ἀλεξ. τὴν μὲν τῶν δυοῖν ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν*
8 *Διοσκ.* (*φησιν*?) *ἂν ὁμολογεῖσθαι, τὴν δὲ τῶν γ' τῶν λεγομένων Καβείρων*. Idem adiicit haec: „De numero ternario a nobis restituto, praeterquam quod veritas apparet e praecedenti *τὴν μὲν τῶν δυοῖν*, persuadebunt cetera ad h. l. scholia et ad v. 1626 et 1683, cf. Eurip. Hel. 1667. Notae sunt mythologorum disputationes post Hemsterh. ad Lucian. II, p. 340 Bip.“ Ceterum duas ex hoc loco lucramur notationes: 1) de titulo operis *πρὸς Ἀλεξανδρίδην* editi, quem addas iis, quos enumeravi in fragm. Polem. p. 18 sqq. 2) quod Alexandridem Delphum, de quo dixi ibidem p. 176 sq., iam constat ante Polemonem vixisse, credo temporibus primorum Ptolemaeorum.

D. Dorpati mense Iulio MDCCCXL.

VI.

DE VIA SACRA ELEUSINIA DISPUTATIO I.

(Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre prius anni MDCCCXLI habendarum. Dorpati, ex officina academica I. C. Schünmanni viduae. 4°).

Vias sacras veteres appellabant quidquid viarum sacris so- 3
lenniter faciendis, pompis ducendis similibusve religiosae observationis documentis sacrum atque celebre erat. In Italia ante ceteras nobilis erat Romana, qua sacra quotquot mensibus ferebantur in arcem et per quam augures ex arce profecti solebant inaugurare, ut ait Varro de ling. lat. V, 47 ed. Mueller., vel quo itinere utebantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa, auctore Festo v. sacram viam. In Graecia simili fama florebat ea, qua Athenae coniungebantur cum Eleusine, sanctissimis mysteriis celebratissima, quibus cum non solum civium Atticorum, verum etiam exterorum permulti quotannis initiari solerent, tantus splendor tantaque dignitas tum in oppidum illud sacrum, tum in viam qua illuc pergebatur redundaverat, ut per excellentiam vocaretur *ἱερὰ ὁδός*, v. Harpocr. v. *ἱερὰ ὁδός ἐστιν ἣν οἱ μύσται πορεύονται ἀπὸ τοῦ ἄστεος ἐπ' Ἐλευσῖνα.* Usurpabant autem hanc viam cum aliis occasionibus sacris, tum Eleusiniis magnis, quae in mensem Boedromionem incidebant, cuius festi ante ceteros dies solennis erat is, qui Iacchus appellabatur, qui erat illius mensis vicesimus (*ἡ εἰκάς*): quo die Iacchum deum frequentissima pompa maximaque cum religione atque festivitate Eleusinem deducebant, v. Plut. v. Phoc. c. 28; v. 4
Camill. c. 19. Accedebat autem ad superstitiosam illam viae dignitatem, quod Athenae hac ipsa vel maxime cum adiacentibus civitatibus ceterisque Graecis continebantur, ut si quis Megaram, Corinthum atque in Peloponnesum, si Delphos atque in partes

septentrionales peregrinari vel inde Athenas migrare volebat, non facile alio itinere uteretur. Unde factum ut non modo aris, sacellis, templis, sed etiam vicis, hortis, aedificiis variis, sepulcrorumque, quae ad frequentissimas quasque vias poni solebant, monumentis mirifice frequens esset atque in paucis conspicua. Neque minus ab regionum amoenitate prospectuumque varietate insignis erat, siquidem et oram maritimam attingebat, Salaminem atque Aeginam insulas spectantem, et amoenos montium colliumque tractus superabat, perque campos insuper fertilissimos illos Atticae ducta erat, assidua agrorum atque hortorum cultura nitentes et quasi humanitatem quandam ostendentes, ut ait Dicaearchus initio fragmenti de vita Graeciae: *ἐντεῦθεν* (Megaris puta vel Eleusine) *εἰς τὸ Ἀθηναίων ἔπεισιν ἄστυ· ὁδὸς δὲ ἡδεῖα, γεωργουμένη πᾶσα, ἔχουσα τῇ ὄψει φιλάνθρωπον.* Quae laudes sicuti inter antiquos, ut peculiarem huius viae descriptioni curam tribueret, moverunt Polemonem (Harpocr. l. c. *βιβλίον ὅλον Πολέμωνι γέγραπται περὶ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ*) et Pausaniam, cuius descriptio nunc praecipuus, unde de illis locis quaeratur, fons est (Attica c. 36—38): ita neque inter recentiores peregrinatores antiquitatumque Atticarum scriptores quisquam facile has regiones attigit, quin ruinosa ista, quibus nunc obsitae sunt, tot religionis sanctissimae artisque perfectissimae vestigia studiose legerit: quorum cum sint permulti, nunc eos tantum nominabo, qui prae ceteris accurate de iis commentati sunt, Guil. Gellium in itinerario Graeco p. 33 sqq., Krusium nostrum in Hellade
5 II, 1, p. 168—184, et Leakium in libello de demis Atticis, germanice verso ab A. Westermanno, Brunsvici 1840, p. 133 sqq. Horum disquisitionibus hanc meam commentationem adiicere liceat, qua et quae ab illis de locorum maxime antiquorum vestigiis atque intervallis disputata sunt retractabuntur, et antiquitatum sacrarum monumenta, quibus illi minorem curam tribuerunt, quam maxime fieri poterit illustrabuntur.

Pausanias viam describendam orditur a Dipylo, qua porta ex urbe in viam sacram exibatur, recteque fecit, si viam per agrum ductam opponas ipsi urbi plateisque urbicis. Pompam vero Iacchi, qua potissimum haec via sacra erat, si sequamur, caput eius accuratius statuendum erit ibi, unde ipsa pompa proficiscebatur, perpetratis variis sacrificiis atque lustrationibus, quibus mystae, antequam ipsam Eleusinem adirent, apud Eleusinium urbicum purgabantur atque praeparabantur. Eleusinium autem illud urbicum (*τὸ ἐνθάδε, τὸ Ἀθήνησι, τὸ ἐν ἄστει Ἐλευσίνιον*, Lysias c. Andocid. § 4; Xenoph. de re eq. I, 1; Corp.

I. No. 71) ad eum arcis angulum situm fuisse, qui forum atque Theseum spectabat, demonstravit O. Muellerus in addit. ad Leak. Topogr. Ath. p. 458. Prope aberat ara XII deorum (Xenophon de off. mag. eqq. III, 2), quae Atheniensibus idem praestabat, quod Romanis milliarium aureum ab Augusto in foro positum (cf. Boeckh. Corp. I. I, p. 32); qua ara si Herodotus II, 7 finit longitudinem viae, quae Athenis ducebat Olympiam, consentaneum est etiam viae sacrae, ut quae illius pars esset, spatium atque dimensionem illa ara terminatam fuisse. Iacchum per forum ductum esse testatur Hesych. v. *Διάγορας* coll. Schol. Aristoph. Ran. v. 323 *διὰ τὸ τοὺς μύστας — ᾄδειν τὸν Ἴακχον δι᾽ ἀγορῶν βαδίζοντας*, quo loco quod plura fora dicuntur, videtur de variis fori partibus ac sectionibus cogitandum. Inde 6
suspicor mystas eo perrexisse, ubi erat templum Iacchi (*τὸ Ἰακχεῖον*), h. e. ad portam Piraicam, cui vicinum erat *τὸ πομπεῖον* h. e. aedificium pomparum apparatibus inserviens (Paus. I, 2, 4; Plut. v. Aristid. 27; Alciphr. epp. III, 59; Boeckh. C. I. No. 481 [Wordsworth Athens and Attica p. 172]): unde probabile pompa instructa ipsum iam simulacrum Iacchi mystis prolatum fuisse per Ceramicum progredientibus, quo spectat Schol. Ran. v. 401 *ἐπειδὴ εἰς Ἐλευσῖνα ὁδεύουσιν ἀπὸ τοῦ Κεραμεικοῦ προπέμποντες τὸν Διόνυσον.* Illinc ad Dipylum accedebant, quam portam Livius XXXI, 24 narrat *velut in ore urbis positam maioremque aliquanto et patentiorem quam ceteras fuisse, et intra eam extraque latas fuisse vias*; nimirum maxima harum regionum celebritas erat, cum illa porta et in viam sacram et in suburbium Academiae iretur, quae loca hortis, villis, aedificiis omnibus ornatissima erant civibusque et peregrinis hinc illinc migrantibus frequentissima; cf. quae Od. Muellerus opere postremo et iam posthumo de his regionibus, suum ipsius sepulcrum mox excepturis, disputavit in ind. lectt. Gotting. 18$\frac{40}{41}$ p. 6. Ipsum Dipylum antiquitus vocabatur porta Thriasia, ab eodem demo, unde etiam campus Thriasius prope Eleusinem dictus est (Plutarch. Pericl. c. 30; Harpocr. v. *Ἀνθεμόκριτος*); nonnunquam propter viam sacram appellatur porta sacra (*ἱερὰ πύλη*, Plut. v. Sullae c. 15); aliis Ceramica (Hesych. v. *Δημιάσι*; Leake Topogr. Att. p. 163 vers. germ., Krüger epikrit. Nachtrag z. d. Unters. üb. d. Leb. d. Thukyd. p. 29 sq.[1]).

Porta egressos magnificentissima sepulcrorum series exci-

---

1) [De Eleusinio, Iacchi templo, Pompeio, Dipylo cf. Westermannum in Zeitschr. für die Alterthumsw. 1843, p. 665—667].

piebat; nam quod Romanis erat via Appia vel Latina, eodem apud Athenienses hae, quibus Eleusinem atque Academiam versus ibatur, viae habebantur honore: splendidissima omnibus divorum manium colendorum memoriaeque sepultorum titulis atque mo-
7 numentis ab iniuria temporum vindicandae loca censebantur. Quorum operum quod Pausanias pauca tantum commemorat, fecit secundum consuetudinem suam. Primum nominat quod proximum a Dipylo erat monumentum Anthemocriti praeconis, cuius historia in causis belli Peloponnesiaci explicari solebat, v. Plut. Pericl. c. 30; Harpocr. v. *Ἀνθεμόκριτος*, qui citat locum Isaei, unde perspicitur monumentum illud imagine Anthemocriti ornatum fuisse; deinceps, additis de singulis quae ex historia attinebant, recensentur sepulcra Molossi, Cephisodori, Heliodori pictoris, Nicoclis Tarentini, aliorum; quibus ex Philostrati de gymnastica libello, nuper edito a Kaysero Heidelb. 1840, p. 14 [cap. 54 ed. Daremberg.] *καὶ ἡ ἐπὶ Γερήνῳ τῷ παλαιστῇ διαμαρτία, οὗ τὸ σῆμα Ἀθήνησιν ἐν δεξιᾷ τῆς Ἐλευσίναδε ὁδοῦ* addas monumentum Gereni luctatoris Olympionicae. Inter sepulcrum Molossi (de quo v. Leak. de dem. Att. p. 139) et monumentum Cephisodori Pausanias memorat *χωρίον Σκῖρον*, a vate Dodonaeo appellatum, qui Eleusiniis cum Atheniensibus pugnantibus socius fuisse, et cum in pugna cecidisset, hoc in loco sepultus esse credebatur, non longe a rivo (*πλησίον ποταμοῦ χειμάρρου*), quem et ipsum perhibet ab istoc vate dictum fuisse: qui rivus olim balneis prope monumentum Anthemocriti aedificatis aquam suppeditabat (Isaeus ap. Harpocr. l. c. *τὸ βαλανεῖον τὸ παρ' Ἀνθεμοκρίτου ἀνδρίαντα*), nunc autem facile is esse deprehenditur, quem in ingressione silvae olearum viam secare narrant Gellius et Leakius; cf. Kruse l. c. p. 33; 170. Inde etiam de vico Sciro satis certa conclusio est, qui variis solennitatibus sacris religiosus erat (v. Demet. et Perseph. p. 292), verum etiam scortorum, aleatorum, aliorumque id genus homuncionum statione famosus (Steph. B. v. *Σκῖρον*), cuius tamen famae invidia quodam modo elevari potest inde, quod Photius in lex. p. 522 pro scortis nominat vates.

8 Ulterius progressos amoena olearum silva excipit, ab antiquissimis inde temporibus irrigua illa campi Atheniensis spatia occupans perque omnem mortalium operum ruinam adolescente in annos propagine ad nostram usque memoriam durans. Irrigantur autem haec loca flumine Cephissi, plurimis rivulis aquam suam per hortos circumiacentes dispertientis. Videtur tamen omnis harum regionum species multum ab antiquorum tempo-

rum immutata esse. Etenim Cephissi ea nunc ratio est, ut tribus rivulis viam secet, quorum ille, qui proxime Athenas est, satis pleno alveo fertur et ponticulo iungitur *δύο μάρμορα* vocato [2]), in cuius vicinitate exstat ecclesia S. Sabae. Sequitur post CCCLXXXIX passus (auctore Gellio) alter rivulus, admodum ille tenuis (cf. Dodwell itin. I, 2, p. 297 vers. germ. et text. Antiqq. Att. ed. Darmst. p. 7), deinde post LXXIX passus tertius. Veteribus contra nonnisi unus fluvii alveus atque unus pons memoratur; quocum coniunctum est quod Cephissus veteribus per muros longos usque in portum Phalericum fluxisse traditur, nunc vero in plures rivulos dilapsus adeo attenuatur, ut mare non attingat; v. inprimis Strab. IX, p. 400 *Κηφισσὸς — ῥέων διὰ τοῦ πεδίου, ἐφ᾽ οὗ καὶ ἡ γέφυρα καὶ οἱ γεφυρισμοί. διὰ δὲ τῶν σκελῶν τῶν ἀπὸ τοῦ ἄστεος εἰς τὸν Πειραιᾶ* 9
καθηκόντων ἐκδίδωσιν εἰς τὸ Φαληρικόν, χειμαρρώδης τὸ πλέον, θέρους δὲ μειοῦται τελέως. Quocirca probabiliter Leakius antiquioribus temporibus existimat fluvium aggeribus utrinque appositis uno alveo coercitum esse minoresque inde rivulos atque canales nonnisi magna cum circumspectione in hortos deductos esse; quae cura cum per insequentium temporum turbas refriguerit, factum esse ut fluvius liquescentibus aggeribus ripas suas transcenderit inque varios alveolos exspatiatus stagnare coeperit [3]). His naturae mutationibus adde vastationes tempo-

---

2) Sic erat temporibus dominationis Turcicae, ubi Gellius has regiones descripsit. Nunc nova ibi via strata est, fluvius novo ponte iunctus, v. Fiedler Reise durch Griechenland I, p. 80: Den $\frac{4}{16}$ Juni 1836 verliess ich Athen. Wir zogen den heiligen Weg nach Eleusis. Durch den Olivenwald und über den Kephissos war eine feste, grade, breite Strasse bereits abgesteckt und begonnen. Sie wurde in demselben Jahre noch beendigt, denn auch hier war im Winter vor Schlamm und Löchern und dem angeschwollenen Kephissos oft nicht fortzukommen Sie folgt der Richtung des heiligen Weges und bald wird sie durchgeführt sein bis Korinth, und so eine wichtige Verbindung wiederhergestellt.

3) De dem. Att. p. 138. Adde quod observat a Klenze aphorist. Bemerkungen auf einer Reise nach Griechenl. p. 294 sq. eius potissimum tractus, qui littori proximus est, solum continuis Cephissi inundationibus marisque alluvionibus vehementer auctum esse et quasi exaggeratum; quod procul dubio maxime in causa fuit, cur ostium Cephissi occluderetur. De inundationibus huius fluvii deque omni, qualis nunc est, eius natura haud alienum erit adiicere notationem Fr. Thierschii de l'état actuel de la Grèce II, p. 26, ubi commentatur locum Sophoclis Oed. Col. 717 sq. et contra Strabonem negat fluvium ullo aestatis tempore exarescere: Le Céphise n'est rien moins qu'un torrent; il se compose de larges et belles fontaines et ne tarit jamais. Dans l'automne de 1831, au mois de Novembre, où il n'avait presque pas encore plu, après une sécheresse de huit mois le fleuve cou-

rum. Namque ubi nunc rara aedificia conspiciuntur, ea constat olim multis vicis suburbanis celeberrima fuisse grataque hortorum, aedium, templorum, ornamentorum denique omnium varietate distincta.

10 Sed pergamus antiquorum operum vestigia duce Pausania relegere. Memorat ille praeter sepulcra primum demum Laciadarum cum sacello Lacii, herois eponymi, deinde, ubi iam ad Cephissum accedit, aram Zephyri et delubrum Cereris atque filiae, quibuscum una colebantur Minerva et Neptunus. Eodem in loco perhibet Cererem narrari olim a Phytalo hospitio exceptam esse hospitique fici stipe donata gratiam retulisse. Documento esse quod in sepulcro Phytali insculptum legatur epigramma:

ἐνθάδ᾽ ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν Ἱερὰν Συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει.
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Deinde in ipso limine pontis, quo Cephissus iungebatur (*πρὶν ἢ διαβῆναι τὸν Κηφισσόν*), meminit monumenti Theodori, et propter littus fluvii (*ἐπὶ τῷ ποταμῷ*) duo simulacra posita esse narrat, alterum Mnesimachae, alterum iuvenis Cephisso *κουροτρόφῳ* crinem suum detondentis. De demo Laciadarum nihil adiiciendum nisi quod propter raparum feracitatem in proverbium abierat, v. Paroemiogr. gr. ed. a Leutsch et Schneidew. p. 467. De heroe Lacio varias coniecturas proposuerunt Muellerus Dor. I, 113, Prolegg. mythol. p. 138 sq., Welcker de cycl. ep. p. 209; cf. Grotefend. de dem. p. 29; 33. De forma nominis *Λακιάδαι* v. Westermann. ad Leak. de dem. Att. p. 139; 229. Stipes illa fici, quam primam Ceres propter hospitium Phytali procreasse dicebatur, aetatem tulerat et testante epigrammate vocabatur *Ἱερὰ Συκῆ*, similiter atque Icari vitis, quam Liber pater primam severat, appellabatur *ἱερὰ ἄμπελος* sive *ἡγητορία*, v. Eustath. p. 871, 21. Transierat autem illud nomen etiam ad
11 omnem, quae circa sacram arborem templumque Cereris aedifi-

---

lait toujours, et les indigènes me déclarèrent d'un commun accord, que jamais il ne manquait d'eau. Il sert pendant tout l'été à arroser les deux cents jardins qui bordent ses rivages, et pendant tout l'hiver à l'irrigation des oliviers, dont ces jardins sont parsemés. On a pratiqué, pour conduire l'eau, de petites rigoles et des espèces de fossés; l'irrigation a lieu à jours et à heures fixes, en sorte que chaque jardin est arrosé deux fois par semaine. On comprend donc ce que ce sont ces fontaines vives *κρῆναι ἄϋπνοι*, et pourquoi le poète (Sophocles l. c.) les dépeint ainsi: *Κηφισσοῦ νομάδες ῥεέθρων*.

cata erat, regionem, v. Phot. Hesych. Etym. M. v. *ἱερ. συκ.*, Athen. III, p. 74 D, Eustath. p. 1964, 11, Plutarch. Sympos. Q. VII, 4, 4: unde Philostratus vit. Apoll. Soph. II, 20 *ἐτάφη δὲ ἐν τῷ προαστείῳ τῆς Ἐλευσῖνι λεωφόρου· ὄνομα τῷ προαστείῳ Ἱερὰ Συκῆ*, quem locum Krusius l. c. p. 185 perperam retulit ad Eleusinem urbem, quasi Sacra Ficus fuerit suburbium Eleusinis. Fefellit collegam doctissimum formula *τῆς Ἐλευσῖνι λεωφόρου*, ubi dativus *Ἐλευσῖνι* adhibetur eodem significatu, quo formula *ἐν Ἐλευσῖνι* ap. Hesych. v. *γεφυρισταί, οἱ σκῶπται, ἐπεὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῖς μυστηρίοις καθεζόμενοι ἔσκωπτον τοὺς παριόντας*, ubi sermo est de ponte Cephissi Atheniensis; eademque vi usurpantur formulae *Ἀθήνησι* vel *ἐν Ἀθήναις*. [Cf. Ungeri commentationes de Thebarum primordiis p. 102]. Ceterum similiter appellabantur *αἱ Συκαί* apud Byzantium, v. Hesych. Miles. Origg. Cpol. § 16 *ἐν ταῖς λεγομέναις Συκαῖς, αἳ τὴν ἐπωνυμίαν ἐκ τῶν συκοφόρων δένδρων ἐδέξαντο*, cf. Meursius ad h. l., cuius locis addendus est Dionys. Byz. p. 8 ed. Hudson.: *Post Hipposthenem locus est appellatus Sycodes, a multitudine et pulchritudine ficuum arborum. Quidam curiosiores dicunt primam ficum arborem ibidem natam esse:* unde intelligitur Byzantios cum Atheniensibus de gloria primae ficus concertasse. — Pontis, quo Cephissum supergressus est, mentionem non facit Pausanias. Recentiores ad eum referre solent epigramma hocce, quod in anthologia Palatina Antagorae Rhodii esse dicitur, in Planudea Simonidis:

ὦ ἴτε Δήμητρος πρὸς ἀνάκτορον, ὦ ἴτε μύσται,
μηδ' ὕδατος προχοὰς δείδετε χειμερίους.
τοῖον γὰρ Ξενοκλῆς ὁ Λίνδιος ἀσφαλὲς ὕμμιν
ζεῦγμα διὰ πλατέος τοῦδ' ἔβαλεν ποταμοῦ,

quem fluvium hunc ipsum Cephissum esse etsi haud absimile veri est, tamen potest etiam de Cephisso Eleusinio vel de alio 12
alius terrae fluvio cogitari [4]). Antiquissimi pontis memoria cum Gephyraeorum coniunctissima erat, qui ad Cephissum hac in regione consederant, postquam relicta Tanagra in Atticam transmigraverant. Qui cum propter naturam pristinarum sedium

---

4) Sic fecit Iacobsius in animadv. ad Anthol. I, 1, p. 240, qui sermonem esse putat de mysteriis in Rhodo insula celebratis. Eorum qui de Cephisso Atheniensi cogitant est etiam Od. Muellerus in comment. de Eleusiniis, Allgem. Encyclop. v. Ersch et Gruber I, 33, p. 281 not. 70. Antagoram Rhodium Arati familiarem fuisse constat ex Apostol. Proverbb. V, 82. Xenoclem Lindium cave confundas cum Xenocle Cholargensi, qui inter eos, qui Eleusinium aedificaverint, nominatur a Plutarcho v. Pericl. c. 13.

pontibus aggeribusque struendis assuefacti essent[5]) Cephissumque fluvium similibus operibus coercendum suscepissent idque ex consuetudine priscorum temporum non sine superstitiosis quibusdam observationibus procurarent, obtinuit ut ipse pons atque adiacens regio sacer quodam modo atque antiquis caerimoniis religiosus fieret; v. Herod. V, 57 et quae eo de loco disputavi Demet. et Perseph. p. 392 sqq., ubi verba *Ἀθηναῖοι δέ σφεας ἐπὶ ῥητοῖσι ἐδέξαντο σφέων αὐτῶν εἶναι πολιήτας, πολλῶν τέων καὶ οὐκ ἀξιαπηγήτων ἐπιτάξαντες ἔργεσθαι* non recte explicata esse monuit Klausen de Aenea et
13 Penatibus p. 948 not. 1904. Rectius inde colligere debebam, non omnia civitatis iura ab Atheniensibus cum Gephyraeis communicata esse; nam quod ipse Klausenius coniectat de castimoniis quibusdam sacerdotalibus, id a loco Herodoti prorsus alienum esse iudico. De sacris autem Gephyraeorum quae ab Herodoto narrantur, ea partim hoc Etym. M. loco illustrantur: *Γεφυρεῖς, δῆμος Ἀττικός, ὅθεν καὶ Γεφυραία Δημήτηρ εἴρηται, ἀπὸ τοῦ ἔχειν γέφυραν, δι᾽ ἧς ἐπὶ Ἐλευσῖνα κατίασιν οἱ μύσται*, iisque quae ab aliis scriptoribus de Cerere Achaea traduntur, partim iis, quae de vetusto cultu Minervae et de Palladio in hunc ipsum pontem coelitus delapso gentilique sacerdotio Gephyraeorum constant ex Phylarcho et antiquis commentatoribus Virgilii et Io. Lydo, qui notitias suas ex Varrone hausisse videntur; v. quae de his locis post me disputata sunt a Schneidewino Coniect. crit. p. 164 sqq. Enimvero mirum quod Pausanias tacet de his traditionibus. Dixeris Gephyraeorum nomen atque sacra gliscentibus saeculis evanuisse. Quod ut concedam de demo secundum Gephyraeos appellato fieri potuisse, de sacris tamen a sollicita, qua Graeci sacrorum vestutates prosequi solebant, religione adeo abhorret, ut res aliter expedienda videatur. Et mihi quidem verisimile illud ipsum templum, quod Pausanias memorat prope Ficum Sacram exstitisse, *Δήμητρος*

5) Ipsa Tanagra olim *Γέφυρα* appellabatur eiusque incolae *Γεφυραῖοι, ὅτι ἐν σχεδίᾳ κώμῃ κατοικοῦντες καὶ ἐν τῇ πέραν γῇ τοῦ Ἀσωποῦ διὰ τοῦ χειμῶνος ἐν ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἐπιμιξίαις γεφύραις ἐχρῶντο*, Etym M. p. 228, 57. Similiter dicta sunt Plataeae et Copae et Iresium oppida, in locis palustribus Boeotiae haec quoque sita, v. Etym. M. p. 303, 11 *Εἰρέσιον, πόλις Βοιωτῶν, ὅτι κατακλυσμοῦ ποτε γενομένου συνέβη περὶ Βοιωτίαν πολλὰς λίμνας ἀναφανῆναι· οἱ οὖν ἐγχώριοι πλάταις καὶ κώπαις καὶ εἰρεσίᾳ κεχρημένοι τὰς πρὸς ἀλλήλους ἐπιμιξίας ἐποιοῦντο· ἐκ τούτου οὖν τὰς πόλεις ὠνόμασαν, ἀπὸ μὲν τῶν πλατῶν Πλαταιάς, ἀπὸ δὲ τῶν κωπῶν Κωπάς, ἀπὸ δὲ τῆς εἰρεσίας Εἰρέσιον*: quod Romano vocabulo possis interpretari Velabrum.

ἱερὸν καὶ τῆς παιδός· σὺν δέ σφισιν Ἀθηνᾶ καὶ Ποσειδῶν ἔχουσι τιμάς, hoc igitur templum illa Gephyraeorum sacra continuisse; quacum coniectura haec altera coniuncta est, ut demum *Γεφυρεῖς* eundem fuisse statuam cum eo, qui ceteris appellatur *Ἱερὰ Συκῆ*. Argumento est tum ipsa ratio locorum a Pausania descriptorum; nam apparet templum et ficum sacram proxime a fluvio Cephisso et a ponte abfuisse; tum quod numina illa, de quibus narrat Pausanias, constat a Gephyraeis culta esse praeter Neptunum omnia; Neptunum vero quod Cereri et Miner- 14
vae adiunxerant, hoc mirationi esse nequit in gente, quae maritimam olim oram accoluerat. Totam autem regionem non solum gentilibus Gephyraeorum sacris religiosam fuisse, sed ad publica etiam dearum Eleusiniarum sacra pertinuisse cernitur tum ex gephyrismis qui vocabantur, tum ex hoc, quod de vico Sacrae Ficus adnotat Philostratus l. c. *τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ἱερὰ ἐπειδὴ ἐς ἄστυ ἄγουσιν, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν.* De *γεφυρισμοῖς* constat ex Strabone IX, 400, qui locus supra exscriptus est, Hesych. s. v., Ammonio de diff. verb. p. 128sq. c. not. Valcken.[6]). Erat hoc ludicrum eius generis, cuius quod in festis Liberi patris *ἐξ ἁμαξῶν* appellabatur (Paroemiogr. I, p. 453) ac *Στήνια* in Thesmophoriis (v. Zeitschr. f. A. 1835 No. 98 p. 792). Assidebat cui facetiarum libido erat in ponte (inde *γεφυρίζειν, γεφυριστής, γεφυρισμός*) personaque induta (*συγκαλυπτόμενος* Hesych.) mystas praetereuntes *ἐξ ὀνόματος* ludificabatur; cuius dicacitatis exempla suppeditat Aristophanes in Ranis v. 390 sqq.; 416 sqq. Ad notationem vero Philostrati quod attinet, mystas in vico Sacrae Ficus paullatim substitisse, cum sacra Eleusinia in urbem duxissent, equidem non de reditu mystarum cogitaverim, quo sacra illa, quae in pompa Iacchi XXmo Boedromionis die Eleusinem ducta erant, Athenas reportaverint, sed de alia pompa alioque die; nam videntur mystae etiam XVImo d. Boedr., qui dies vocabatur *ἅλαδε μύσται*, Eleusinem commigrasse, v. Etym. M. p. 469, 18 *ἱερὰ ὁδὸς ὁδός τις ἦν ἡ εἰς Ἐλευσῖνα ἄγου-* 15
σα, ἣν ἀπίασιν οἱ μύσται ἅλαδε[7]). Verum hoc utut est,

---

6) Hoc uno loco et apud Thom. Mag. v. *σκῶμμα*, ubi eadem repetuntur, de pluribus pontibus Cephissi memoratur, *γεφυρισμὸς δὲ ἀπὸ τοῦ τοὺς Ἀθήνησιν ἐπὶ τῶν γεφυρῶν ἐπιγράφειν ἤτοι ἔμμετρα ἢ καὶ δίχα μέτρων διασυρμούς τινων ἔχοντα*: quae tamen testimonia nihil valent contra coniunctas reliquorum auctoritates, praesertim cum etiam de re parum accurate referant.

7) [Cf. Westermann. in Zeitschr. für die Alterthumsw. 1843, p. 667.]

manifestum est illum de quo narrat Philostratus honorem non tam arbori sacrae, quam templo isti vetusto habitum esse; de cuius loco si quaeras, probabile est in iisdem nunc fundamentis aedificatam esse ecclesiam S. Sabae.

Haec hactenus. Reliqua sequantur proxime.

D. Dorpati m. Aprili MDCCCXLI.

VII.

DE VIA SACRA ELEUSINIA DISPUTATIO II.

(Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre alterum anni MDCCCXLI habendarum. Dorpati, ex officina academica I. C. Schünmanni viduae. 4°).

Viae Eleusiniae monumenta cum novissimo indici proludens 3
usque ad pontem Cephissi Atheniensis persecutus sim, nunc quae reliqua sunt illustrabo. Silva illa, de qua dictum est, olearum etiam ad ulteriorem ripam pertinet, donec veniatur ad sacellum S. Georgii[1]), unde apertis antiquae viae vestigiis per loca steriliora[2]) proceditur. Pausanias superato ponte aram veterem Iovis *μειλιχίου* exstare narrat, ad quam Theseus a Phytali posteris de caede Sinis sibi propinqui purgatus esse dicatur. Ibidem sepulcra Theodectis Phaselitae et Mnesithei, medici olim famosi, inveniri; deinceps aedem non magnam ad viam aedificatam esse, Cyamitae dedicatam, quo nomine dubitat utrum hominem an heroem appellatum fuisse censeat. Eam aedem Leakius ibidem sitam fuisse existimat, ubi nunc conspiciatur sacellum S. Georgii, ut cetera monumenta intra silvam quaerenda sint. Phytalidas in promptu est quasi Satores dictos esse *ἀπὸ τοῦ φυτεύειν*. Quid 4
plantaverint si quaeras, memento ficus sacrae, a Cerere Phytalo hospiti donatae; quam arborem cum constet lustralem fuisse, simul de februo a Phytalidis adhibito apertum est[3]). In Thesei autem fabula illud notabile est, quod in ulteriore Cephissi ripa

1) Sic Leakius. Alii sacellum appellant S. Blasii. De omni silvae extensione deque arborum natura atque vestutate v. text. Antiqq. Att. ined. p. 7 ed. Darmst.

2) Fiedler: Hat man den immergrünen Olivenwald durchschritten, so wird die Gegend kahl und nur Disteln wachsen hin und wieder auf dem dürren steinigen Boden.

3) V. Lob. Agl. p. 703; Bossler de gentt. et fam. Att. sacerd. p. 51 sq.

et ipse lustratus esse perhibetur et ara illa lustralis ostendebatur, non eo loco, ubi ipsa ficus sacra exstabat: quod ita explicandum dicas, ut agri Atheniensis terminos usque ad pontem Cephissi patuisse suspicere; eodemque pertinuerint quae in fragmento Istri[4]) Atthidis scriptoris leguntur antiquorum terminorum definitiones: *ἀπὸ δὲ τῆς παραλίας ἐπὶ μὲν λείαν πέτραν.* — — *ἀπὸ τούτου δὲ ἕως Κολωνοῦ παρὰ τὸν χαλκοῦν προσαγορευόμενον* (sc. *τὸν χαλκόπουν ὁδόν*, notum ex Sophocle), *ὅθεν πρὸς τὸν Κηφισὸν ἕως τῆς μυστικῆς εἰσόδου εἰς Ἐλευσῖνα· ἀπὸ ταύτης δὲ βαδιζόντων εἰς Ἐλευσῖνα τὰ ἐπαριστερὰ μέχρι τοῦ λόφου τοῦ Αἰγάλεω*: quo loco ingressionem mysticam pontem Cephissi dici etiam nunc cum Meursio statuo, cum alii cogitaverint de ingressione saltus, quo Aegaleus traiicitur[5]). De Theodectis[6]) et Mnesithei monumentis nihil constat, et fuerunt praeter haec multa alia cum hisce in
5 locis tum in sequentibus ad viam sacram constructa, de quorum reliquiis cum narrent recentiores, Pausanias nonnisi insigniora commemoranda putavit. Cyamitae nomen atque religio sicut Pausaniae aliorumque grammaticorum veterum ingenia exercuit, ita recentiores etiam mythologos multum vexavit[7]). Mihi res in dubio relinquenda videtur, nam quod in Hesychio: *Κυαμίτης ὁ παγκὸς καλούμενος* a nonnullis emendatur *ὁ Ἴακχος*, cavendum ne Iaccho cum Cerere Eleusinia coniunctissimo imputemus quod ab ipsa Cerere prorsus alienum esse veteres asseverant.

Post Cyamitae templum Pausanias memorat monumentum Rhodii cuiusdam Athenarum civis inquilini atque alterum, ab Harpalo Macedone in Pythionicae uxoris honorem magnificentissime exstructum. Cuius monumenti locus satis accurate definiri potest adhibito testimonio Dicaearchi ap. Athen. XIII, p. 594 E, ubi varia de eodem tumulo variorum scriptorum testimonia collecta

---

4) Ap. Schol. Soph. O. C. 1059, v. Sieb. in fragm. Istri p. 63 et quae olim de eo loco disputavi in Zimmerm. Zeitschrift für Alterthumsw. a. 1836 p. 622.

5) Leakius *τὴν μυστικὴν εἴσοδον* non certum locum in via sacra, sed universam viam dici putat, quod refutatur iis quae sequuntur, *ἀπὸ ταύτης βαδιζόντων* etc.

6) Erat discipulus Isocratis et poeta tragicus, v. Plutarch. vitt. X oratt. in Isoc., qui suo tempore illud monumentum collapsum fuisse testatur: *οὗ ἐστι τὸ μνῆμα ἐπὶ τὸν Κυαμίτην πορευομένοις κατὰ τὴν ἱερὰν ὁδὸν ἐπ' Ἐλευσῖνα, τανῦν κατερηρειμμένον.* [Cf. C. F. T. Maercker de Theodectis Phaselitae vita et scriptis commentat. I. Vratisl. 1835.]

7) Cf. Bekk. Anecd. p. 274, 14; Phot. s. v.; Creuzer Mythol. III, p. 36; Welcker Nachtrag z. Trilogie p. 253; Lobeck Agl. p. 253.

leguntur. Dicit eum qui Eleusine profectus in via sacra contendat Athenas eodem loco, unde primus in Minervae urbem atque templa prospectus pateat, miratione perstringi conspecto monumento ipsi viae imminenti, tantaeque molis, ut nihil simile neque inter ea quae prope sint opera inveniatur. Evanuit stupendum mulieris indignissimae sepulcrum, sed manet prospectus, neque quisquam facile etiam nunc Athenas pergit, quin eo in loco, unde urbs immortalis primum conspicitur, paululum consistat. Est 6
autem ille locus, quod multi adnotaverunt [8]), ubi in campum Atheniensem descendenti a laeva manu eminet collis singularis, ecclesia S. Eliae ornatus. Patet igitur monumentum Pythionicae aut in ipso colle, ubi tamen Leakius se frustra antiquorum operum reliquias quaesivisse narrat, aut prope collem exstructum fuisse. Huius autem loco constituto Hermi simul demus ubi quaerendus sit efficitur, in cuius agro sepulcrum illud exstitisse testatur Plutarchus v. Phoc. 22: *διαμένει ἔτι νῦν ὁ τάφος ἐν Ἑρμείῳ, ᾗ βαδίζομεν ἐξ ἄστεος εἰς Ἐλευσῖνα.* Quem demum cum Zopyrus ap. Harpocr. v. *Ἕρμος* narret ad rivulum cognominem situm fuisse, patet reliquias eius, si quae sunt, prope rivulum vicinum colli S. Eliae investigandas esse. [Cf. Westermann in Zeitschrift für die Alterthumsw. 1843, p. 668, Ross *Demen* von Attika p. 69.]

Sequentium locorum ea natura est, ut collibus, quibus campus Atheniensis a Thriasio campo disiungitur, ab occidente procurrentibus, via acclivis in saltum contrahatur occidentemque versus inflexa superato saltu ad oram maritimam sinus Eleusiniaci descendat. Colles illi cum diversis apud veteres nominibus appellentur, tamen in universum ea ratio praevaluisse videtur, ut Aegaleus totum iugum vocaretur, Corydalus ea pars, quae littus spectat et in Amphialen peninsulam excurrit, Poecilus s. Varius collis aliquis prope monasterium Daphnae [9]). Ipsa via

8) Gell itin. p. 32 Near Agios Elias is the first view of Athens, on returning from Eleusis. Cf. Fiedler p. 80 et qui luculentissime illum prospectum describit, Leake Northern Greece Vol. II, p. 385.

9) V. quae de his nominibus olim disputavi in Zimmerm. Zeitschrift f. Alterthumsw. 1836 No. 77 sq., collato Leakio de demis p. 2. c. notis Westermanni [et Rossio Demen von Attika p. 79]. Gravissimus locus est Thucyd. II, 19, de quo nunc Leakii et Westermanni interpretatio sequenda videtur. De Corydalo optimus dux Strabo IX, p. 395 *ὑπὲρ δὲ τῆς ἀκτῆς ταύτης ὄρος ἐστίν, ὃ καλεῖται Κορυδαλὸς καὶ ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλεῖς,* de cuius demi situ olim perperam iudicavi l. c. p. 624. [Cf. etiam Westermannum in Zeitschr. für die Alterthumsw. 1843, p. 668.] De Icario monte et demo proclive est statuere quidquam, v. l. c. p. 629 sq., Leak. de dem. p. 114, [Ross p. 73.]

montibus utrinque praecisis per fauces angustiores ducta est;
7 per quas cum unicus ex campo Thriasio aditus pateret, ars ad munimenta naturae accessit, moenibus et turribus per montium iuga dispositis, quorum reliquiae et fundamenta etiam nunc hinc illinc conspiciuntur [10]). In summis faucibus, ubi saltus maxime coartatur, monasterium Daphnae situm est, quod constat inter omnes servare rudera eius aedis, quam Pausanias perhibet continuisse signa Cereris, Proserpinae, Minervae et Apollinis, primitus vero soli Apollini a Cephali posteris dicatam fuisse; cuius aedificii cum a. 1801 tres columnae ordinis Ionici superessent in parietes monasterii inclusae, nunc in Museo Britannico Londini asservantur, per Elginum transportatae. Templum satis amplum fuisse iudicat Leakius, idemque monasterii, cuius ipsum nomen antiquam Apollinis religionem prodit, architecturam talem esse refert, ut temporibus regulorum Francicorum, qui Athenis saec. XIII — XV dominabantur, aedificatum esse videatur. Inde saltus versus oram maritimam extenditur, locis declivibus sensimque in convallem apertiorem dilatatis, torrente a monasterio defluente, quem sequitur via, praeciso a laeva manu pariete montis strata. Cuius vestigia si sequare, ad alia antiqui delubri rudera duceris, quod patet respondere templo Veneris, a Pausania post templum Apollinis commemorato. Aliis idem sacrum appellatur *τὸ Φίλαιον*, quippe Philae Veneri, divae uxori Demetrii Phalerei, ab Adimanto Lampsaceno dedicatum, v. testimonia variorum ap. Athen VI, p. 252 [cll. Rossii Hellenicis I, 53]: quae confirmantur eo, quod prope abest rupes cum cellulis incisis, quibus donaria olim condebantur, velut columbae marmoreae aliaeque id genus imagunculae, quarum nonnulla
8 exempla ibidem reperta sunt; quibus sub cellulis inscriptiones sunt oblitteratae, a Boeckhio tractatae in Corp. Inscr. no. 507—509, quarum una habet haec nomina *Φίλῃ Ἀφροδίτῃ*, altera ostendit nomen Pythionicae [11]), tertia haec verba *Ἀνδρία Ἀφροδίτῃ εὐξαμένη*, ut idem locus variis Veneribus sacer fuisse videatur [12]). Templum ordinis Dorici fuit, iudice Leakio [13]). Ante

10) Huc spectant quae leguntur ap. Plutarch. Alcib. 34 *ἀφ' οὗ γὰρ ἐπετειχίσθη Δεκέλεια καὶ τῶν εἰς Ἐλευσῖνα παρόδων ἐκράτουν οἱ πολέμιοι παρόντες, οὐδένα κόσμον εἶχεν ἡ τελετὴ πεμπομένη κατὰ θάλατταν* etc.

11) Inde multi etiam sepulcrum Pythionicae hoc in loco quaesiverunt, quod satis certum est in introitu campi Atheniensis situm fuisse.

12) [Sed conf. Rossium in Annalibus Instituti archaeol. T. XV, p. 328 et Goettlingium Gesammelte Abhandlungen p. 117 sq.]

13) [Ern. Curtius se ibi capitulum Doricum marmoreum optimae artis repperisse testatur de portubus Athen. p. 2, not. 1.]

templum Pausanias reliquias muri ex rudibus lapidibus compositi exstare perhibet, quas reliquias recentiores peregrinatores etiam nunc superesse tradunt, incerti utrum ad fundamenta templa referendae sint an ad aliud prisci operis aefidicium [14]).

Ad littus descendenti, quo loco Eleusis primum conspicitur, convallis excipitur angulo meridionali campi Thriasii, quae regio quamquam nunc sterilior est rarisque arboribus consita, tamen olim fertilis et cultura frequens fuisse videtur, nam constat demum Thriasium in hoc ipso littoris tractu situm fuisse, nobilissimum illum et priscis temporibus adeo potentem, ut nomen suum et ad portam illam Athenarum, qua in viam sacram exibatur, et ad campum patentissimum, qui ab Aegaleo usque ad Eleusinem oppidum porrigitur, propagaverit. Quem demum qui alibi quaesiverunt [15]), ii parum tribuerunt Straboni IX, p. 395, qui littoris loca a septentrione ad meridiem circumvectans sic scribit: *εἶτ' Ἐλευσὶς πόλις, — εἶτα τὸ Θριάσιον πεδίον καὶ ὁμώ-* 9
νυμος αἰγιαλὸς καὶ δῆμος, ubi *αἰγιαλὸς Θριάσιος* haud dubie vocatur ea pars littoris, quae est inter Rhetos et Amphialen peninsulam [16]). Accedit quod narratur apud Athenaeum l. c., Philaeum in dicione Thriasiorum situm fuisse, (*νεὼν κατασκευασάμενος καὶ ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι Θριῆσιν*), et quod Fiedlerus prope exitum illius convallis, quae incipit a monasterio Daphnae, vestigia demi antiqui exstare adnotat, quae ipse statuit Thriae esse. Apposite idem hanc regionem, quamvis tristiorem nunc adspectum referat, modo aqua suppeditetur, fertilissimam etiam nunc futuram satis harum rerum peritus iudex affirmat [17]).

Deinde via sinuosum orae maritimae flexum ita sequitur, ut primum septentrionem versus, deinde versus occidentem diri-

14) Hoc statnit Dodwell class. tour II, p. 171, illud Leakius North. Gr. II, p. 384. Rudes lapides (*ἀργοὺς λίθους*) Pausanias dicere solet ad modum Cyclopium qui vocatur concinnatos.

15) Velut Leakius de dem. Att. p. 146, qui Thriae reliquias in media planitie Thriasia, supra Eleusinem investigasse sibi videtur. Rectius cum Dodwello et Gellio Krusius Hell. II, 1 p. 178.

16) Cf. Leak. North. Gr. II, p. 383 the cultivable ground at this extremity of the valley of Dháfui is prolonged in a narrow stripe along the shore of the bay at the foot of mount Corydallus, as far as the Metókhi of Skarmangá. Cf. de dem. p. 144 [et Rossii Demen von Attika pg. 72.].

17) Das Thal hat westlich unter dem Kloster starken Fall; es zieht sich bis an das Meer hinab. Nach dem Meere zu erweitert es sich ein wenig. Hier stehen einzelne Oliven und einige Johannisbrodbäume. Der Boden ist schlecht und hat keine Bewässerung, das Thal ist daher hier höchst unfruchtbar; es darf jedoch nur Wasser geschafft werden und trotz dem schlechten Boden werden hier Getreide, Wein und Früchte und was der Süden Schönes hat freudig gedeihen. Am Ausgange des Thals, kaum

10 gatur. Occurrunt *οἱ Ῥειτοὶ* qui vocantur[18]). Antiqua via sub ipsis collium radicibus strata erat, ut paludes illas a laeva haberet; recentior proxime littus ducitur, ut Rheti sint ad dextram. De natura horum rivulorum explicatissime nunc disserit Fiedlerus Itiner. I, p. 82, qui quod adnotat piscium, qui in illis insint, carnem candidam esse marinisque piscibus sapore praestantiorem, patet iam causa, cur sacerdotibus Eleusiniis hic piscatus reservatus fuerit[19]). Quod huic notationi adiicit Pausanias, Eleusiniorum fines antiquitus usque ad Rhetos pertinuisse, hoc ad ea tempora referendum videtur, quae bellum Eleusinium, quo Eleusinii cum Atheniensibus ad unius civitatis consortium iuncti sunt, proxime antecedebant. Etenim antiquissimo tempore, quod ipsum campi nomen prodit, Thriasiorum erant agri illi, a campo Rario, quo Eleusiniorum fines primitus inclusos fuisse statuerim, usque ad Aegaleum montem patentes[20]). Et manserat etiam usque ad Pausaniae tempora rumor antiquus de Crocone quodam regulo prisco, cuius regnum fuerit regio trans Rhetos,
11 cuique Saesaram, Celei Eleusinii filiam, nuptam fuisse memorabant, quae mulier inter antiquissimas Cereris Eleusiniae sacerdotes recensetur[21]). Quae fama ita fortasse interpretanda est,

10 Minuten weit südlich an der Küste, sind Ruinen eines alten Demos, wahrscheinlich Thria. Thriasius erat Crates philosophus, Diog. L. IV, 4. Demum Synesii temporibus superstitem fuisse patet ex ep. 135 p. 272 ed. Petav. *Ἀναγυρούντοθέν σοι γράφω καὶ Σφηττοῖ γέγονα καὶ Θριῶζε καὶ Κηφισιάσι καὶ Φαληροῖ.*

18) *Ῥειτοί* vel *Ῥειτά*, prout *ποταμοί* suppleatur vel *ναμάτια*, quo genere Sophocles usus erat, v. Phot s. v. Schol. Thucyd. II, 19 adnotat Orum scripsisse *Ῥειτός*, Herodianum *Ῥεῖτος*, v. Lob. Paralip. Gr. gr. II, p. 350. Memorabilis de illis nota est Hesychii s. v. *ἐν τῇ Ἀττικῇ δύο εἰσὶν οἱ πρὸς τῇ Ἐλευσῖνι Ῥειτοὶ ῥωγμοὶ* (quo vocabulo indoles Rhetorum optime exprimitur), *καὶ ὁ μὲν πρὸς τῇ θαλάττῃ τῆς πρεσβυτέρας θεοῦ* (Cereris) *νομίζεται, ὁ δὲ πρὸς τὸ ἄστυ τῆς νεωτέρας* (Proserpinae). *ὅθεν τοὺς λουτροὺς ἁγνίζεσθαι τοὺς θιάσους.* [Cf. Goettling Gesammelte Abhandlungen p. 118.]

19) Pausanias: *τοὺς ἰχθῦς ἐξ αὐτῶν τοῖς ἱερεῦσίν ἐστιν αἱρεῖν μόνους,* — Laudantur *αἱ ψῆτται Ἐλευσινιακαί* ap. Athen. VII, 285 F; 330 A.

20) Locos ubi campi Thriasii mentio fit, v. ap. Leak. de dem. Att. p. 145.

21) Pausanias: *καὶ διαβᾶσι τοὺς Ῥειτοὺς πρῶτος ᾤκει Κρόκων, ἔνθα καὶ νῦν ἔτι βασίλεια καλεῖται Κρόκωνος· τοῦτον Ἀθηναῖοι τὸν Κρόκωνα Κελεοῦ θυγατρὶ συνοικῆσαι Σαισάρᾳ λέγουσι.* Cecinerat de Saesara Pamphus. Eiusdem nomen ad omnem aliquando Eleusiniam pertinuisse refert Hesychius v. *Σαισαρία, ἡ Ἐλευσὶν πρότερον,* unde Lobeckius Agl. p. 283 mulieris nomen a terrae ductum esse arbitratur. At contrarium verisimilius, cum *Σαισάραν* pateat esse i. q. *σεσαρυῖαν* h. e. dulce subridentem, a v. *σαίρω,* de qua v. Wuestem. ad Theocr. VII, 19.

ut antiquos Eleusiniorum regulos, inclarescentibus paullatim sacris Eleusiniis, connubio et foedere sacro cum regulis proximis inito civitatem suam firmasse atque amplificasse statuamus. Eodem revocandum videtur, quod Salaminis insulae autochthonem administrum Cereris Eleusiniae fuisse tradunt[22]), et quod Celeus ille, cuius nomine totius antiquitatis Eleusiniae famam atque memoriam solent complecti, quotidianum hominum nobilium et optimatium coetum primus instituisse perhibetur[23]).

Campi Thriasii tractus littoralis, quem secat via sacra, uliginosior est et paene paluster[24]); plures enim per eum rivuli
stagnantibus propter ostia praeclusa aquis feruntur, quorum 12
maximus est Cephissus, cuius capita sunt in radicibus montis Cithaeronis prope Eleutheras, unde alveo satis pleno[25]) usque ad Eleusinem delabitur, ubi aqua eius canalibus multis per vineta atque oliveta oppido vicina dispertitur. Narrant recentiores peregrinatores, se omnem campum, ubi ad mare declivis est, floribus variis distinctum vidisse; cui notationi[26]) si adiunxeris

22) Hesiod. ap. Strabo IX, p. 393; Steph. B. v. *Κυχρεῖος*; Eustath. ad Dionys. P. v. 511; Meinek. ad Euphor. p. 70.

23) Plutarch. Sympos. Q. IV, 4, 1 pag. 607 D *Κελεόν, ὃν πρῶτον ἱστοροῦσιν εὐδοκίμων καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν κατασκευάσαντα σύνοδον καθημερινὴν ὀνομάσαι πρυτανείαν.*

24) Gell. itin. p. 17 a wide plain, both flat and marshy. Leake North. Gr. II, p. 382 from hence (inde a sepulcro Stratonis) to Eleusis the sacred way was a causeway, raised above the plain, which is low and marshy in this part. — Has regiones etiam marinis inundationibus expositas fuisse prodit fabula de Neptuno ap. Apollod. III, 14, 1, Neptunum a Minerva superatum Atticae littus, nominatim campum Thriasium, fluctibus suis inundasse, quam fabulam imitati sunt Argivorum fabulatores, simiae isti Atheniensium, v. Paus. II. 22, 5. Quas inundationes multum nocuisse frugibus campi Thriasii consentaneum est (cf. Paus. II, 32, 7 de Neptuno Phytalmio Troezeniorum agros immissis aquis salsis corrumpente), quibus contra prodesse austros ex mari flantes memorat Aristoteles Problem. XXVI, 17, de quo loco cf. Sylv. de Sacy ad St. Croix mystères Vol. I, p. 455 [et I. G. Schneider in edit. Theophrasti Vol. II, p. 599.]

25) Pausanias: *ῥεῖ δὲ Κηφισσὸς πρὸς Ἐλευσῖνι βιαιότερον παρεχόμενος τοῦ προτέρου* (sc. Atheniensis) *ῥεῦμα.* Ad Cephissi aliorumque rivulorum inundationes referendus Demosth. adv. Callicl. §. 28 *σκοπεῖτ' ὦ ἄνδρες δικασταὶ πόσους ὑπὸ τῶν ὑδάτων ἐν τοῖς ἀγροῖς βεβλάφθαι συμβέβηκε τὰ μὲν Ἐλευσῖνι, τὰ δ' ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις:* eodemque spectant haec ap. Euseb. Chron. p. 81 *χειμάσας* (Hadrianus) *εἰς Ἀθήνας καὶ μυηθεὶς τὰ Ἐλευσίνια καὶ γεφυρώσας Ἐλευσῖνα κατακλυσθεῖσαν ὑπὸ Κηφισσοῦ ποταμοῦ*, quae Leakius interpretatur de aggeribus torrenti utrinque appositis, quorum operum reliquiae etiam nunc passim conspiciuntur. [Cf. Curtium in Zeitschrift für die Alterthumsw. 1845, p. 70.]—De omni flumine Cephissi Eleusinii accuratissime auctor text. Antiqq. Att. ined. p. 11 sq.

26) Dodwell. class. tour. I, p. 285 After crossing the road which leads

quod monui de palustri horum locorum natura, egregie illustran-
18 tur versus illi mystarum apud Aristophanem in Ran. v. 350, quibus Iacchum deum ut pompam sibi Eleusinem versus praeeat excitant:

σὺ δὲ λαμπάδι φέγγων
προβάδην ἔξαγ' ἐπ' ἀνθηρὸν ἕλεον δάπεδον
χοροποιὸν μάκαρ ἥβαν.

Haec enim illa loca famosissima sunt, quae nocturnis initiis a mystis, postquam Iacchum secuti Eleusinem pervenerant, celebrabantur: hunc sinum respicit Sophocles in versibus notissimis Antigonae v. 1121 *μέδεις δὲ παγκοίνοις Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις ὦ Βακχεῦ*: haec littora in Oedip. Col. v. 1052 *ἢ πρὸς Πυθίαις*[27]) *ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς, οὗ Πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη θνατοῖσιν*: has denique regiones Euripides in Ione v. 1874 seqq. versibus praeclarissimis, ubi omnem naturam cunctaque numina, quotquot per coelum, per mare, per fluvios pertineant, sanctissimas illas caerimonias laetitiamque mystarum participare fingit exsultabunda.

De monumentis per hanc postremam viae partem memorabilibus paucis defungi licet. Quae a Pausania notantur sepulcra Eumolpi, Hippothoontis et Zarecis cuiusdam antiqui musici, ea nunc non exstant; at inveniuntur pro eis alia, quae ille non memoravit. Primum eo loco, ubi iter in bivium scinditur, cuius alterum brachium tendit versus Pythium et Boeotiam, exstant
14 rudera sepulcri Stratonis cuiusdam, hoc titulo ornati: *Στράτων Ἰσιδότου Κυδαθηναῖος, Πῶλλα Μουνατία Ἡρακλεία, Ἰσίδοτος Στράτωνος Κυδαθηναῖος*, auctore Leakio de demis p. 144 ed. Westerm. Hinc via aggeribus utrinque appositis sustentatur, propter palustrem locorum naturam. Sequitur aliud sepulcrum in ruderibus antiquae ecclesiae inclusum, cuius inscriptionem versibus expressam ex Chandlero post alios edidit Boeckhius in Corp. Inscr. Vol. I, no. 401:

Μνῆμα τόδ' ὑψιφανὲς Δηοῦς ζακόροιο δέδορκας
μυρίον ἐν σοφίῃ κῦδος ἐνεγκαμένου,
ος τελετὰς ἀνέφηνε καὶ ὄργια πάννυχα μύσταις

---

from Athens to Megara — in three hours we entered the Thriasian plain (m. Maio extr.), the surface of which was variegated with the many-coloured anemone, forming an expanded tissue of the richest hues.

27) Leakius de dem. p. 147 in Pythiis istis *ἀκταῖς* cogitat de templo Apollinis olim in loco monasterii Daphnae sito. Cogitandum vero de Pythio prope Oenoen, v. Philoch. p. 28; 84 ed. Sieb., Scholl. Aristoph. Lysistr. 58; Reisig. enarr. Oedip. Col. p. CXXXIV; O. Mueller. Dor. I, p. 239.

Εὔμολπον, προχέων ἱμερόεσσαν ὄπα·
ὃς καὶ δυσμενέων μόθον οὐ τρέσεν, ἀλλ' ἐσάωσεν
ἄχραντ' ἀρρήτων θέσμια Κεκροπίδαις.
Ἆ μάκαρ, ὃν καὶ δῆμος ἐπεστεφάνωσε γεραίρων,
. . . .

ubi quod de hostium Eleusinem petentium impetu dicitur, probabile est fuisse Gothos, qui circa a. 269 Achaiam omnem vastaverunt, deinde a Dexippo Atheniensi fusi Epirum, Acarnaniam, Boeotiam pervagati sunt. Postea Cephissi brachium superatur ponticulo iunctum, oliveto etiam huius rivulis circumfuso. Pausanias prope ripam locum esse tradit, cui Caprifico nomen sit (*παρ' αὐτῷ καλοῦσιν Ἐρινεόν*), ubi Pluto rapta Proserpina ad inferos demersisse narretur, eademque regione Polypemonem latronem, Procrusten cognomine, a Theseo olim occisum esse. Celebraverat haec loca carmen Orphicum de Cerere Eleusinia, v. Demet. et Proserp. p. 133 not. 9.

Totam viam Dodwellus a se quatuor horis et quinque minutis absolutam esse dicit; Gellius duodecim millibus passuum et duodecentum eam emensus est. Et longum sibi iter praeire Iacchum produnt etiam mystae Aristophanei, verum tamen deo duce sine omni molestia peragendum, vs. 398.

Ἴακχε πολυτίμητε, μέλος ἑορτῆς
ἥδιστον εὑρὼν δεῦρο συνακολούθει
πρὸς τὴν θεὸν καὶ δεῖξον ὡς
ἄνευ πόνου πολλὴν ὁδὸν περαίνεις.

D. Dorpati m. Septembri a. MDCCCXLI.

VIII.

DE CAUSSA NOMINIS CARYATIDUM.

(Discorso del prof. L. PRELLER, letto nell' adunanza dell' Instituto archeologico intitolata al natale di Winckelmann, li 9 decembre 1843. — Annali dell' Instituto archeologico, Vol. XV, fascicolo secondo (1843), p. 396—406.)

396 De nomine Caryatidum quamquam multi disputaverunt, tamen minime adeo explicata sunt omnia, ut nullus ad dubitandum relinquatur locus.

Traduntur autem duae potissimum eius nominis interpretationes, quarum alteram dixeris historicam, alteram ritualem, aut, si mavis, aestheticam.

Illius auctor est Vitruvius de Archit. I, 1, ubi leguntur haec: „Carya civitas Peloponnensis cum Persis hostibus contra Graeciam consensit: postea Graeci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronales deponere, uti non uno triumpho ducerentur, sed aeterno servitutis exemplo gravi contumelia pressae poenas pendere viderentur pro civitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, aedificiis publicis designaverunt earum imagines oneri ferendo collocatas, ut etiam posteris nota poena peccati Caryatium memoriae traderetur."

Mira utique res et quae tantum repugnat historiae vulgatae,
397 ut mature exstiterint, qui nullam ei fidem habendam esse dictitarint [1]). Neque qui eam defensarunt, probabilibus argumentis

1) Prae ceteris Lessing. antiquar. Aufsätze, Opp. Vol. X, p. 369. Quem deinde secuti sunt Boettiger über die s. g. Karyatiden am Pandroseum und über den Missbrauch dieser Benennung, Amalth. Vol. III, p. 137—167, Meineke ad Euphor. p. 93, Od. Mueller Doriens. I, p. 374, II, p. 321, alii. Cf. inter Anglos Blomfield some remarks on the Caryatides of ancient architecture, Mus. Crit. VII, p. 400 sqq., et Adnotationes ad Antiqq. Stuarti et Revetti Vol. I, p. 488 sqq.

usi sunt [2]). Etenim alii de Caryis Laconicis, qua de urbe optime constat, desperantes aliamque propterea eiusdem nominis urbem circumspicientes, Arcadicam videlicet ex Pausania protulerunt et Herodotum VIII, 26 de Arcadibus ad Xerxem deficientibus memorare arguerunt. Sed Caryae istae Arcadicae non existunt nisi in Pausaniae exemplis parum emendatis, et Herodotus minime de universae civitatis defectione loquitur, sed de paucis quibusdam victum atque operam quaerentibus (*ὀλίγοι τινὲς, βίον τε δεόμενοι καὶ ἐνεργοὶ βουλόμενοι εἶναι*). Alii Xenophontem citaverunt, qui in Hist. Gr. VI, 5, 25 sqq. VII, 1, 28 Caryates narrat a Spartanis ad Arcades defecisse et propter id ab Archidamo rege, expugnata urbe, occidione occisos esse, quod factum statuunt confusione eorum, qui nomen Caryatidum peregrinantibus enarraverint, ad tempora belli Persici revocatum esse. Quos bene refutavit Marinius, Vitruvii narrationem nimium a Xenophontea discrepare monens, cui argumento addi potest, quod incredibile est, tam recentem memoriam illo aevo litteratissimo adeo obscurari potuisse, ut de temporibus bellorum Persicorum narrata fuerint quae pertinerent ad tempora Archidami.

Sed restat aliud huius traditionis fundamentum, cui multum tribuerunt, qui parum reputaverunt, monumentis artium eandem illam, quam monumentis litterarum, artem criticam adhibendam esse. Exstat enim in Museo Neapolitano [3]) anaglyphum,
quod Caryatidas repraesentat, duas epistylium sustentantes, ter- 398
tiam in medio assidentem humi et moestitiam prae se ferentem, quibus figuris addita est inscriptio haec: *ΤΗ ΕΛΛΑΔΙ ΤΟ ΤΡΟΠΑΙΟΝ ΕΣΤΑΘΗ ΚΑΤΑΝΙΚΗΘΕΝΤΩΝ ΚΑΡΥΑΤΩΝ*. Opus affabre sculptum est et sine dubio antiquum. De titulo autem inscripto, quem primum a. 1607 protulit Capaccius in Antiqq. et Histor. Neapol. c. XXII (ap. Burmann. Thes. Antiqq. et Histor. Italiae Tom. IX, 2, p. 194) et deinde ex loco illo Vitruvii illustravit Reinesius, Syntagma Inscr. Antiq. p. 284, dubitavit primum Maffeius, Ars crit. Lapid. p. 88 [4]), conclamaverunt deinde, qui de Caryatidibus scripserunt, ad unum omnes, exceptis paucis, de quibus sufficiat nominasse Ios. Parascando-

2) Prae ceteris v. Marini ad Vitruv. Vol. I, p. 9, qui laudat alios.
3) Cf. Mus. borbonico Vol. X, Tav. LIX.
4) Ubi inter alia haec: „Inscriptio antiquis trophaeis vel nulla, vel in scutis, lignis aliaque parum diuturna materia ut plurimum designata, unde est, huius generis titulum ab antiquitatum scrutatoribus nullum unquam repertum esse, Graeciae vero nec tropaeum nec aliud quidpiam dicatum me legere memini.“

lum Neapolitanum, illustrazione di un marmo greco rappresentante le Cariatide, Napoli 1817, 4. Mihi maxime probatur quod exposuit Finatus in Mus. borbonico Vol. X, ad Tab. LIX, ipsum quidem monumentum antiquum esse, sed repraesentare Provinciam aliquam domitam, inscriptionem vero postea ex Vitruvio vel alio scriptore, qui eandem rem memoraverit, adiectam esse (similiter atque factum est in Baccho Indico Musei Vaticani, cui inscriptum est nomen Sardanapali, et in aliis monumentis a Finato memoratis), et labantibus quidem temporibus, quo facit forma litterarum et omissio iota subscripti, de qua cf. Franz Elem. Epigr. Gr. p. 233 et 247 [5]).

399 Ita refutatis omnibus, quibus narratio Vitruvii muniri poterat, argumentis, alia illa, quam ego supra nominavi ritualem vel aestheticam, Caryatidum explicatio suborta est, quam primus lineamentis quasi adumbraverat Lessingius, deinde prae ceteris copiose illustravit Boettigerus, in cuius auctoritate nunc omnes in illa quaestione solent acquiescere. Canephoros ille esse et appellandas esse, quae falso et nonnisi ab inferioribus appellentur Caryatides, censet. Canephoros h. e. virgines sacras, in pompis vasa in capitibus portantes, primum aere et marmore expressas esse a sculptoribus, ut constat Polycletum Argivum Canephororum virginum signa aenea fecisse, a Verre illa ex Sicilia Romam transportata (Cic. in Verr. Act. II, lib. IV, cap. 3, 5), itemque Scopae Canephoros laudabatur, Romae in Asinii monumentis posita (Plin. N. H. XXXVI, 4, 7); quos sculptores deinde secutos esse architectos, venustissimas illas virginum decore ingredientium festoque ornatu insignium figuras iamiam ad instar columnarum usurpantes. Iam Caryatidas simile virginum sacrarum genus fuisse atque Canephoros; unde factum esse, ut utrisque confusis illarum nomen apud inferiores pro omnibus similibus figuris obtinuerit [6]). Id equidem concedo admodum pro-

---

5) Fidem inscriptionis defendit etiam *Canina*, qui de Caryatidibus explicatissime disseruit: Architettura antica Tom. V, p. 396 sqq., et in censura Vitruvii Mariniani, Ann. dell'Instit. T. VIII, p. 135. Anaglyphum ille Neapolitanum inferioris aetatis esse dicit, sed imitationem operis antiqui; inscriptionem eiusdem aetatis atque ipsum monumentum. Secus iudicat *Carellius*, dissertazione esegetica intorno all'origine ed al sistema della sacra architettura presso i Greci, Napoli 1831, p. 163 sqq., ubi item locus de Caryatidibus accuratius pertractatur; qui inscriptionem arbitratur esse prorsus noviciam (assolutamente moderna).

6) Boettiger l. c. p. 148: Nach langer und oft wiederholter Erwägung ist die Ueberzeugung in mir immer mehr befestigt worden, dass aller Missverstand aus der Verwechslung der ächt athenischen Kanephoren mit den

babiliter disputatum esse quod attinet ad Canephoros. Etenim primum earum, quae etiam nunc Athenis vel Romae vel alibi exstant, statuarum architectonicarum maxima pars revera sunt Canephoroe; deinde habet haec explicatio interiorem quandam veri 400 speciem et concinnitatem: namque sicut nunc, quae Italiam visitantibus ubique obviae fiunt, virgines aut mulieres vasa in capitibus gestantes gratissimo adspectu vel provocare pictores ad imitandum videntur, ita consentaneum est etiam Graecos artifices, studiosissime illos quicquid in natura aut in consuetudine vitae humanae venusti atque decori occurrebat, arte sua prosecutos, virgines pomparum imitando primum ad illas statuas motos fuisse. Quo accedit etiam, quod eaedem virgines, quae in pompis supellectilem sacram gestabant, convenientissime poterant ad alterum illud sacrum ministerium, epistylia delubrorum portandi, accommodari.

Nihilominus restant etiam sic nonnullae offensiones, maxime si in confusionem illam, quam dicunt factam esse Canephororum atque Caryatidum, diligentius inquisiveris. Et primum quidem cupidius iudicaverunt, qui nomen Caryatidum novicium esse et a Romanis, fortasse ab ipso Vitruvio inductum arbitrati sunt; quam asseverationem eo argumento solent confirmare, quod in celebrata illa inscriptione Attica Erechtheum spectanti eius aedificii Caryatides simpliciter dicantur *κόραι*. Qui neglexerunt locum Athenaei VI, p. 242 D, ubi ex Lynceo Samio, Duridis historici fratre, profertur narratio lepida de Corydo quodam parasito, propter facetias suas apud poetas comoediae Atticae novae celebrato, eum hominem, cum in triclinio ruinam minitanti coenaret, dixisse: *ἐνταῦθα δειπνεῖν δεῖ ὑποστήσαντα τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ὥσπερ αἱ καρυάτιδες*: quo loco satis manifestum est non de saltantibus Caryatidibus sermonem esse, sicut statuit Boettigerus, sed de tecta atque epistylia sustentantibus: unde colligitur rem atque nomen vere Graecum esse et ipsis Atheniensibus usurpatum, idque aetate a monumento illo, quo Caryatides Erechthei dicuntur *κόραι*, haud nimium distanti.

Deinde, si veterum testimonia examinemus, multum quidem eis memorantur virgines Caryatides, Dianae cognominis cultui addictae, sed nunquam loquuntur nisi de saltantibus, idque mo-

---

spartanischen Karyatiden von Alters her angefangen hat, und dass alles, was wir noch in dieser Art besitzen, — eigentlich nur von Kanephoren zu verstehen ist. Similiter iudicant Henr. Meyer in nott. ad Winckelm. Opp. Vol. II, p. 370; V, p. 332, Od. Mueller Handb. d. Archaeol. § 279, alii.

